364.592
W938

LUDOVICUS WOUTERS, C. SS. R.
THEOLOGIAE MORALIS ET PASTORALIS PROFESSOR.

COMMENTARIUS

IN DECRETUM „NE TEMERE"

AD USUM SCHOLARUM COMPOSITUS.

#6025

Property of
CBF
Please return to
Graduate Theological
Union Library

EDITIO QUARTA
RECOGNITA ET AUCTA.

Transferred
July 1938
Cum Permissu Superior.

BIBL. STUD.
O. F. M.
CALIFORNIA

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
2400 RIDGE ROAD
BERKELEY, CA 94709

AMSTELODAMI.
(Amsterdam)
C. L. VAN LANGENHUYSEN.
1912.

proprium parochum eum intelligi debere, cuius in paroecia domicilium sit aut quasi-domicilium alterutrius contrahentis. Verum quia nonnunquam difficile est indicare, certo ne constet de quasi-domicilio, haud pauca matrimonia fuerunt obiecta periculo ne nulla essent; multa quoque, sive inscitia hominum sive fraude, illegitima prorsus atque irrita deprehensa sunt ». [1])

Denique eo fine nova lex lata est, ut gravissima incommoda e sponsalibus clandestinis oriunda praecaveantur. « Flagitatum simul est ab Episcopis, tum Europae plerisque, tum aliarum regionum, ut incommodis occurreretur, quae ex sponsalibus, idest mutuis promissionibus futuri matrimonii privatim initis, derivantur. Docuit enim experientia satis, quae secum pericula ferant eiusmodi sponsalia: primum quidem incitamenta peccandi causamque cur inexpertae puellae decipiantur; postea dissidia ac lites inextricabiles ». [2])

Porro Decretum *Ne temere* ad praedictos fines assequendos quam maxime accommodatum esse, demonstrabunt et tenor Decreti iam referendus et commentarius quem, recognitum atque auctum, quartum publici iuris facimus.

WITTEMII, die 15 Iunii, 1912.

AUCTOR.

---

[1]) Decretum *Ne temere*.
[2]) Decretum *Ne temere*.

DECRETUM
DE SPONSALIBUS ET MATRIMONIO

IUSSU ET AUCTORITATE SS. D. N. PII PAPAE X

A S. CONGREGATIONE CONCILII EDITUM.

Ne temere inirentur clandestina matrimonia, quae Dei Ecclesia iustissimis de causis semper detestata est atque prohibuit, provide cavit Tridentinum Concilium (cap. 1, sess. XXIV, *de reform. matrim.*) edicens: « Qui aliter quam praesente parocho vel alio sacerdote de ipsius parochi seu Ordinarii licentia et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et eiusmodi contractus irritos et nullos esse decernit ».

Sed cum idem Sacrum Concilium praecepisset ut tale decretum publicaretur in singulis paroeciis, nec vim haberet nisi iis in locis ubi esset promulgatum, accidit ut plura loca in quibus publicatio illa facta non fuit, beneficio Tridentinae legis caruerint, hodieque careant, et haesitationibus atque incommodis veteris disciplinae adhuc obnoxia maneant.

Verum nec ubi viguit nova lex, sublata est omnis difficultas. Saepe namque gravis exstitit dubitatio in decernenda persona parochi, quo praesente matrimonium sit contrahendum. Statuit quidem canonica disciplina, proprium parochum eum intelligi debere, cuius in paroecia domicilium sit aut quasi-domicilium alterutrius contrahentis. Verum quia nonnunquam difficile est indicare, certo ne constet de quasi-domicilio, haud pauca matrimonia fuerunt obiecta periculo, ne nulla essent; multa quoque, sive inscitia hominum sive fraude, illegitima prorsus atque irrita deprehensa sunt.

Haec dudum deplorata eo crebrius accidere nostra aetate videmus, quo facilius ac celerius commeatus cum gentibus, etiam disiunctissimis, perficiuntur. Quam ob rem sapientibus

viris ac doctissimis visum est expedire, ut mutatio aliqua induceretur in iure circa formam celebrandi connubii. Complures etiam sacrorum Antistites omni ex parte terrarum, praesertim e celebrioribus civitatibus, ubi gravior appareret necessitas, supplices ad id preces Apostolicae Sedi admoverunt.

Flagitatum simul est ab Episcopis, tum Europae plerisque tum aliarum regionum, ut incommodis occurreretur, quae ex sponsalibus, id est ex mutuis promissionibus futuri matrimonii privatim initis, derivantur.

Docuit enim experienta satis, quae secum pericula ferant eiusmodi sponsalia: primum incitamenta peccandi causamque cur inexpertae puellae decipiantur; postea dissidia ac lites inextricabiles.

His rerum adiunctis permotus SSmus D. N. Pius X, pro ea quam gerit omnium Ecclesiarum sollicitudine, cupiens ad memorata damna et pericula removenda temperatione aliqua uti, commisit S. Congregationi Concilii ut de hac re videret, et, quae opportuna aestimaret, Sibi proponeret.

Voluit etiam votum audire Consilii ad ius canonicum in unum redigendum constituti, nec non Emrum Cardinalium qui pro eodem codice parando speciali commissione delecti sunt: a quibus quemadmodum et a S. Congregatione Concilii conventus in eum finem saepius habiti sunt. Omnium autem sententiis obtentis, SSmus Dominus S. Congregationi Concilii mandavit, ut decretum ederet, quo leges a Se, ex certa et matura deliberatione probatae, continerentur, quibus sponsalium et matrimonii disciplina in posterum regeretur eorumque celebratio expedita, certa atque ordinata fieret.

In exsecutionem itaque Apostolici mandati, S. Congregatio Concilii praesentibus litteris constituit atque decernit ea quae sequuntur:

De Sponsalibus.

I. — Ea tantum sponsalia habentur valida et canonicos sortiuntur effectus, quae contracta fuerint per scripturam subsignatam a partibus et vel a parocho, aut a loci Ordinario, vel saltem a duobus testibus. Quod si utraque vel alterutra pars scribere nesciat, id in ipsa scriptura adnotetur; et alius

testis addatur, qui cum parocho aut loci Ordinario, vel duobus testibus de quibus supra, scripturam subsignet.

II. — Nomine parochi hic et in sequentibus articulis venit non solum qui legitime praeest paroeciae canonice erectae, sed in regionibus ubi paroeciae canonice erectae non sunt, etiam sacerdos cui in aliquo definito territorio cura animarum legitime commissa est et parocho aequiparatur; et in missionibus ubi territoria necdum perfecte divisa sunt, omnis sacerdos a missionis moderatore ad animarum curam in aliqua statione universaliter deputatus.

De Matrimonio.

III. — Ea tantum matrimonia valida sunt, quae contrahuntur coram parocho vel loci Ordinario vel sacerdote ab alterutro delegato et duobus saltem testibus iuxta tamen regulas in sequentibus articulis expressas et salvis exceptionibus quae infra n. VII et VIII ponuntur.

IV. — Parochi et loci Ordinarii valide matrimonio assistunt:

§ 1. A die tantum adeptae possessionis beneficii vel initi officii, nisi publico decreto nominatim fuerint excommunicati vel ab officio suspensi;

§ 2. Infra limites dumtaxat sui territorii, in quo matrimoniis nedum suorum subditorum, sed etiam non subditorum, valide assistunt;

§ 3. Dummodo invitati ac rogati et neque vi neque gravi metu constricti requirant excipiantque contrahentium consensum.

V. — Licite autem assistunt:

§ 1. Constito sibi legitime de libero statu contrahentium, servatis de iure servandis;

§ 2. Constito insuper de domicilio vel saltem de menstrua commoratione alterutrius in loco matrimonii;

§ 3. Quod si deficiat, ut parochus et loci Ordinarius licite matrimonio adsint, indigent licentia parochi vel Ordinarii proprii alterutrius contrahentis, nisi gravis intercedat necessitas, quae ab ea excuset;

§ 4. Quoad « vagos », extra casum necessitatis, parocho ne

liceat eorum matrimoniis assistere, nisi re ad Ordinarium vel ad sacerdotem ab eo delegatum delata, licentiam assistendi impetraverit.

§ 5. In quolibet autem casu pro regula habeatur, ut matrimonium coram sponsae parocho celebretur, nisi aliqua iusta causa excuset.

VI. — Parochus et loci Ordinarius licentiam concedere possunt alii sacerdoti determinato ac certo, ut matrimoniis intra limites sui territorii assistat.

Delegatus autem ut valide et licite assistat, servare tenetur limites mandati, et regulas pro parocho et loci Ordinario n. IV et V superius statutas.

VII. — Imminente mortis periculo, ubi parochus vel loci Ordinarius vel sacerdos ab alterutro delegatus haberi nequeat, ad consulendum conscientiae et (si casus ferat) legitimationi prolis, matrimonium contrahi valide ac licite potest coram quolibet sacerdote et duobus testibus.

VIII. — Si contingat, ut in aliqua regione parochus locive Ordinarius aut sacerdos ab iis designatus coram quo matrimonium celebrari queat, haberi non possit, eaque rerum conditio a mense iam perseveret, matrimonium valide ac licite iniri potest emisso a sponsis formali consensu coram duobus testibus.

IX. — § 1. Celebrato matrimonio, parochus vel qui eius vices gerit, statim describat in libro matrimoniorum nomina coniugum ac testium, locum et diem celebrati matrimonii atque alia, iuxta modum in libris ritualibus vel a proprio Ordinario praescriptum ; idque licet alius sacerdos vel a se vel ab Ordinario delegatus matrimonio asstiterit.

§ 2. Praeterea parochus in libro quoque baptizatorum adnotet, coniugem tali die in sua paroecia matrimonium contraxisse. Quod si coniux alibi baptizatus fuerit, matrimonii parochus notitiam initi contractus ad parochum baptismi sive per se, sive per curiam episcopalem, transmittat, ut matrimonium in baptismi librum referatur.

§ 3. Quotiens matrimonium ad normam n. VII aut VIII contrahitur, sacerdos in primo casu, testes in altero, tenentur in solidum cum contrahentibus curare ut initum coniugium in praescriptis libris quamprimum notetur.

X. — Parochi qui heic hactenus praescripta violaverint, ab Ordinariis pro modo et gravitate culpae puniantur. Et insuper si alicuius matrimonio asstiterint contra praeceptum § 2 vel 3 num. V, emolumenta « stolae » sua ne faciant, sed proprio contrahentium parocho remittant.

XI. — § 1. Statutis superius legibus tenentur omnes in catholica Ecclesia baptizati et ad eam ex haeresi aut schismate conversi (licet sive hi, sive illi ab eadem postea defecerint), quotiens inter se sponsalia vel matrimonium ineant.

§ 2. Vigent quoque pro iisdem de quibus supra catholicis, si cum acatholicis sive baptizatis sive non baptizatis, etiam post obtentam dispensationem ab impedimento mixtae religionis vel disparitatis cultus, sponsalia vel matrimonium contrahunt; nisi pro aliquo particulari loco aut regione aliter a S. Sede sit statutum.

§ 3. Acatholici sive baptizati sive non baptizati, si inter se contrahunt, nullibi ligantur ad catholicam sponsalium vel matrimonii formam servandam.

Praesens decretum legitime publicatum et promulgatum habeatur per eius transmissionem ad locorum Ordinarios; et quae in eo disposita sunt ubique vim legis habere incipiant a die solemni Paschae Resurrectionis D. N. I. C. proximi anni 1908.

Interim vero omnes locorum Ordinarii curent hoc decretum quamprimum in vulgus edi, et in singulis suarum dioecesum parochialibus ecclesiis explicari, ut ab omnibus rite cognoscatur.

Praesentibus valituris de mandato speciali SSmi D. N. Pii PP. X, contrariis quibuslibet etiam peculiari mentione dignis minime obstantibus.

Datum Romae, die 2 mensis Augusti, anni 1907.

VINCENTIUS Card. Ep. Praenest., *Praefectus.*
C. DE LAI, *Secretarius.*

BIBLIOGRAPHIA.

Conferri possunt: *Alberti*, Commentarius in recens decretum S. C. C. de sponsalibus et matrimonio, Romae, 1908; *Arendt*, Analysis theologico-canonica decreti « Ne temere », Romae, 1909; *Arndt*. Die Eheschliessung nach neuestem Recht: Pastor Bonus 1908; *Besson*, De la publicité des fiançailles et du mariage: Nouvelle Revue théologique 1907 et 1908; *Boudinhon*, Le mariage et les fiançailles, Paris, 1908; *Choupin*, Les fiançailles et le mariage, Paris, 1911; *Cronin*, The new matrimonial Legislation, 1908; *De Becker*, Legislatio nova de forma substantiali quoad sponsalia et matrimonium, Lovanii, 1908; *De Smet*, Commentarius in decretum 2 Aug. 1907 de sponsalibus et matrimonio, Brugis, 1908; item, De Sponsalibus et Matrimonio tractatus, Brugis, 1908; *Gennari*. Breve commento della nuova legge sugli sponsali et sul matrimonio, Romae, 1908; *Haring*, Das neue Ehedekret « Ne temere » Graz, 1907; *Heiner*. Das neue Verlöbnis- und Eheschliessungsrecht der kath. Kirche, Münster, 1908; *Knecht*, Die neuen eherechtlichen Dekrete « *Ne temere* » und « *Provida* », Köln, 1907; *Leitner*, Die Verlöbungs- und Eheschliessungsform nach dem Dekrete « Ne temere ». Regensburg, 1910; *Mc Nicholas*, The new mariage legislation: American Ecclesiastical Review, 1908; *Noldin*, Decretum de Sponsalibus et Matrimonio, Oeniponte, 1910; *Oietti*, In ius antepianum et pianum ex decreto « Ne temere », Romae, 1908; *Sagmüller*. Lehrbuch des katholischen Kirchenrechts, Freiburg i. B., 1904; *Trampe*, Tractatus de Matrimonio, Graviae, 1911; *Van de Burgt-Schaepman*, Tractatus de Matrimonio, Ultraiecti, 1908; *Vermeersch*, De forma sponsalium ac matrimonii post decretum « Ne temere », Brugis, 1908; *Wernz*. Ius decretalium, Tom. IV, Ius matrimoniale Ecclesiae Catholicae, Romae, 1911.

COMMENTARIUS.

ARTICULUS I.

De Solemnitate ad sponsalia requisita.

« Ea tantum sponsalia habentur valida et canonicos sortiuntur effectus, quae contracta fuerint per scripturam subsignatam a partibus et vel a parocho, aut a loci Ordinario, vel saltem a duobus testibus. Quod si utraque vel alterutra pars scribere nesciat, id in ipsa scriptura annotetur; et alius testis addatur, qui cum parocho aut loci Ordinario, vel duobus testibus, de quibus supra, scripturam subsignet ».

Articulus primus decreti *Ne temere* exhibet formalitates pro sponsalibus constitutas. Quoad eas autem inquirendum: *primum*, quaenam formalitates statutae sint; *deinde*, quae sit earum necessitas et obligatio; *denique* quaestiones aliquas atque dubia minoris momenti discutiemus.

Formalitates statutae.

I. Sponsalia contrahi debent per *scripturam*, adeo ut consensus sola voce expressus in posterum iam non sufficiat. Attamen non requiritur, ut ipsaemet partes scripturam conficiant; imo nihil prohibet, quominus ad communem contrahentium usum determinata formula typis describatur.

II. Scriptura exhibeat promissum ineundi matrimonii, quod determinatae personae altera alteri facit [1]). Praeterea ad vali-

[1]) « Si verba, quibus expressus est consensus sponsalitius, dubia sunt, in foro *conscientiae* standum est pro interpretatione *intentioni* contrahentium, in foro vero externo imprimis recurrendum est ad communem verborum intelligentiam (cfr. cap. 7. X. h. t.; Instr. S. C. Inq. 20 Jun. 1883, n. 32.) aliasque iuris regulas, quae potissimum ad contractuum interpretationem sunt constitutae. Cfr. v. g. cap. 6. X. de V. S. V. 40; R. I. 85. in Sext. Quare si de solis sponsalibus versatur dubium, potius in favorem libertatis facienda est interpretatio; quod si dubium existat, utrum contractus sit matrimonialis, an sponsalitius, pro matrimonio, utpote causa favorabili, sententia feratur necesse est. Cfr. cap. 26. X. de sent. et re iud. II. 27. » (*Wernz*, Ius Decretalium, IV², p. 141.)

ditatem requiritur, ut dies, mensis et annus quibus contractus initus est, apponantur. Haec enim ad documentum quod probationem firmam involvat, necessaria sunt. Ita etiam d. 17 Jul. 1908 (ad II) declaravit S. C. Conc. Appositio datae *falsae* videtur valori contractus obstare; quandoquidem in casu data re vera non apponitur. Nihilominus legislator non censetur actum irritare ob errorem involuntarium; quod confirmatur ex analogia iuris civilis.

Dubitatur, utrum necne etiam appositio *loci in quo sponsalia ineuntur*, ad valorem requiratur. Pro sententia affirmante militat primum, quod etiam lex civilis exigit, ut contractibus conscriptis locus apponatur. Deinde, ubi agitur de sponsalibus subsignatis a parocho vel ab Ordinario, appositio loci necessaria est ad documentum quod valorem sponsalium firmiter possit probare; siquidem ut praedicti valide subsignent, requiritur ut id peragant in loco *territorii sui*. Quod S. C. Conc., quum datam addendam esse respondit, de appositione *loci* tacuit, id sufficienter explicatur ex eo, quod de ea interrogata non fuit.

Pariter disputatur, utrum necne scriptis mandandae sint conventiones quae sponsalibus adiciuntur eaque notabiliter immutant, puta conditio sine qua non ineuntur, vel tempus, quo praeterlapso, obligatio ineundi matrimonii est cessatura. Iamvero omnino conscribenda videtur conditio *sine qua sponsalia contrahenda invalide contraherentur*. Etenim sola sponsalia *conscripta* valida sunt. Porro dici nequit, sponsalia *conscripta esse*, si in scriptura omittitur id quod ad valorem seu constitutionem sponsalium necessario requiritur. Hinc v. g. invalide procederet qui ante obtentam dispensationem — esto sub conditione « si dispensatio obtineatur » — sponsalia iniret cum consanguinea vel acatholica, sed praedictam conditionem scriptis non mandaret. Idem quoad alias conventiones magni momenti resolvendum esse, suadetur ex eo quod, eis omissis, sponsalia non designantur secundum substantialia, immo falsum exprimitur; etenim, conventionibus omissis, eo ipso significatur, sponsalia sine conventionibus additis inita esse. Adde quod, praetermissis conventionibus, iudex ecclesiasticus non possit, lite exorta, rite atque sufficienter de re iudicare. Nihilominus res dubia videtur quoad conventiones

quae non involvunt conditionem sine qua sponsalia invalide ineuntur. Practice non omittantur, eo magis quod, re in iudicium vocata, iudex ecclesiasticus, nisi certa probatio obstet, documento scripto inhaerebit.

III. Scriptura subsignari debet aut a partibus et a parocho vel loci Ordinario [1]), aut a partibus et a duobus testibus [2]).

Quodsi utraque vel alterutra pars scribere nesciat, id in ipsa scriptura annotetur et alius testis adhibeatur, qui vices partium suppleat atque aut ut testis secundus parocho vel loci Ordinario aut ut testis tertius aliis testibus adiungatur. Ad eos qui scribere nesciunt, referuntur tam ii qui scribere *non noverint*, quam ii qui scribere *noverint* sed *ab usu facultatis impediuntur*. Equidem, attenta *littera* legis quae utitur voce « nesciat », de solis *prioribus* sermo est, verum manifesta est intentio Legislatoris etiam *posteriores* attingentis. Sufficit, ut *unus* testis addatur, sive *utraque* sive *alterutra* pars scribere nescit [3]); quandoquidem solummodo de alio *teste* addendo dicit decretum. Non sufficit, ut pars quae scribere nesciat, pro nomine signum apponat. Pars quae *sola* scribere potest, non tenetur subsignare.

---

[1]) Quinam veniant nomine « parochi » et « Ordinarii » articulo secundo decreti exponitur.

[2]) Hisce litteris sponsi infra scripti sponsalia contrahunt.
Romae, die 1ª Iunii 1912.
Sponsus: *Ioannes N.*
Sponsa: *Anna N.*
Parochus: *Franciscus N.*

aut

Hisce litteris sponsi infra scripti sponsalia contrahunt.
Romae, die 1ª Iunii 1912.
Sponsus: *Ioannes N.*
Sponsa: *Anna N.*
Testes: *Petrus N. et Paulus N.*

[3]) Hisce litteris Petrus N. et Antonia N. sponsalia contrahunt. Antonia N. scribere nequit; hinc unus testis additus est.
Romae, die 1ª Iunii 1912.
Parochus: *Franciscus N.*
Testis: *Iudocus N.*

aut

Hisce litteris Petrus N. et Antonia N. sponsalia contrahunt. Antonia N. scribere nequit; hinc unus testis additus est.
Romae, die 1ª Iunii 1912.
Testes: *Simon N., Anna N.* et *Paulus N.*

Hisce litteris Ludovicus N. et Bertha N. sponsalia contrahunt. Neutra pars scribere potest; hinc unus testis additus est.
Romae, die 1ª Iunii 1912.
Parochus: *Franciscus N.*
Testis: *Henricus N.*

aut

Hisce litteris Ludovicus N. et Bertha N. sponsalia contrahunt. Neutra pars scribere potest; hinc unus testis additus est.
Romae, die 1ª Iunii 1912.
Testes: *Augustinus N., Ernestus N.* et *Lambertus N.*

IV. Requiritur, ut singuli subsignantes omnibus aliis subsignantibus praesentes sint, puta sponsus subsignantibus sponsae et parocho aut testibus, sponsa subsignantibus sponso et parocho aut testibus, parochus aut testes utrique parti subsignanti, testis aliis testibus subsignantibus. Deducitur ex declaratione S. C. Conc. d. d. 21 Iul. 1908 (ad I), idque quatenus involvit, parochum (id est, testem autorizabilem) aut testes assistere debere partibus subsignantibus. praetera innuitur per sensum obvium decreti quod exigere videtur testes *ipsius contractus sponsalitii*. id est, contractus *per scripturam utriusque perficiendi;* iam vero ii eiusmodi contractus testes dici nequeunt, qui utrique parti subsignanti praesentes non fuerunt. Adde rationem agendi quam sequitur Forum civile, ubi de contractus testibus sermo est, Forum civile inquam, quod in casu exigere consuevit, ut testes contractui inito praesentes fuerint; cui quidem agendi rationi Ecclesia sese conformare censenda est.

Atque ita formalitatibus summatim expositis, quaedam notemus atque investigemus quoad parochum et Ordinarium loci, quoad testes, capacitatem actumque scribendi. et sponsalia subsignanda in genere.

1. — **Quoad parochum et Ordinarium loci.**

a) Non requiritur, ut parochus vel Ordinarius qui adhibeatur, sit alterutrius contrahentis proprius ratione domicilii vel menstruae habitationis; sed requiritur et sufficit, ut sit parochus vel Ordinarius *loci, ubi contractus sponsalitius contrahitur;* siquidem decretum exigit « parochum aut *loci* Ordinarium », quae quidem *Ordinarii* determinatio aequo iure ad *parochum* qui in testem assumatur, refertur. Liquet itaque, parochum vel Ordinarium competentem esse parochum vel Ordinarium *loci, ubi scriptura conficiatur:* seu requiritur, ut parochus vel Ordinarius qui adhibeatur — adhiberi autem potest is qui proprius non est — scripturam subsignet *intra limites territorii sui*. Ita etiam d. 28 Mart. 1908 (ad VII) resolvit S. C. Conc.

b) Ut parochus vel Ordinarius loci valide subsignent sponsalia, non videtur requiri, ut non sint publico decreto nominatim excommunicati vel ab officio suspensi; quandoquidem decretum, ubi de *sponsalibus* agit, de istis requisitis sermonem

non facit. Utrum necne requiratur, ut parochus adeptus sit possessionem beneficii, an sufficiat institutio collativa tituli seu nominatio acceptata, id dependet ab eo, num ante possessionem obtentam dici possit *praeesse* paroeciae. Porro censeo, praedicta sufficere, excepto casu quo praedecessor adhuc retinet possessionem. Denique patet, parochum aeque ac alios assumi posse tanquam testem *ordinarium*.

c) Parochus et Ordinarius loci nequeunt alteri, puta vicario vel secretario, facultatem facere loco sui contractum sponsalitium subsignandi. Etenim subsignando contractum sponsalitium non exercent actum iurisdictionis, sed testem qualificatum agunt. Atqui pro teste qualificato nequit sine licentia superioris alius substitui. Praetera decretum *Ne temere* sine addito habet, subsignationem contractus sponsalitii fieri debere aut a parocho aut a duobus testibus, dum, ubi de assistentia matrimonio praestanda sermo est, adiungit, eam fieri debere a parocho *eiusve delegato*. Cuius argumenti vis augetur ex eo, quod in subiecto decreto omnia et singula accurate atque ad amussim determinari videntur. Adde, eiusmodi facultatem nequaquam necessariam esse, quum loco parochi etiam duo testes adhiberi possint. Ceterum ita d. 28 Mart. 1908 (ad VII) declaravit S. C. Conc.

2. — **Quoad testes.**

Testes adhiberi possunt quotquot, spectato iure naturae, capaces sunt testimonii ferendi et scripturae subsignandae; etiam infideles, haeretici, foeminae etc.; quamvis, ubi catholici haberi possint, haereticos vel infideles adhiberi, non conveniat. Subsignatio metu iniusto extorta sponsalia non reddit invalida.

3. — **Quoad capacitatem atque actum scribendi requisitum.**

Qui non nisi aliena manu ductus nomen apponere potest videtur valide subsignare, si active atque formaliter aliquid ad subsignationem conferat. Porro ita opinor, et quia in hisce lex mitius interpretanda videtur, et quia homo eiusmodi secundum communem usum loquendi scribere dicitur. Si quis vero mero instrumento aequipararetur, puta quia methodum scribendi nullatenus edoctus foret, vel manum perfecta paralysi laborantem haberet, is mea saltem sententia invalide nomen apponeret.

Invalide subsignat qui utitur machina scribendi; siquidem is qui eiusmodi instrumento utitur, potius *imprimere* quam *scribere* dicendus est. Accedit quod ea ratio subsignandi omni signo authenticitatis destituta est. Ob easdem rationes invalide subsignat qui adhibet instrumentum quod nomen ad similitudinem characteris insculptum refert.

4. — **Quoad sponsalia in genere.**

a) Si matrimonio obstat impedimentum, securitatis causa sponsalia non subsignentur, antequam dispensatio obtenta sit.

b) Quamvis parochus in loco territorii sui valide subsignet sponsalia parochianorum alienorum, id tamen generatim dissuadendum est.

c) Ut fert consuetudo in aliis contractibus scriptis, ita etiam sponsalia alta voce legantur, antequam subsignentur.

d) Documentum quod contractum sponsalitium continet, asservetur apud parochum vel Ordinarium qui eum subsignavit. Utrique tamen parti tradatur exemplar. Quodsi parochus non subsignaverit sponsalia, nihilominus contractus sponsalitius ei — consultius parocho sponsae — tradatur.

COROLLARIA. — *a*) Uti e dictis efficitur, sponsalia inter absentes iam contrahi nequeunt; quod tamen non impedit, quominus per procuratorem iniri possint. Etenim secus provisum non foret sponsalibus contrahendis ab eis qui inter se congredi nequeunt; cuiusmodi sponsalibus provisum non esse, supponi nequit. Dein, nisi expresse contrarium statuatur, censendum est, quoad contractus persistere ius per alium faciendi, quod quis per se facere potest. Ita communiter. Porro ut sponsalia per procuratorem possint iniri, requiritur: *a*) ut procurator instructus sit speciali mandato, sive scriptis sive viva voce dato, ineundi sponsalia cum determinata persona; *b*) ut procurator ipsemet mandatum exsequatur, nisi facultas alium substituendi specialiter concessa sit; *c*) ut mandans nullatenus, ne actu mere interno quidem, mandatum revocaverit ante inita sponsalia; *d*) ut mandatum notum sit non solum comparti verum etiam testibus, quippe qui debeant posse testari, procuratorem vicem compartis praestare.

b) Nunc quoad *filios decreto Ne temere obnoxios* [1]) practico

[1]) Valet adhuc pro baptizatis qui non tenentur decreto *Ne temere*.

eo valore caret, immo pro abrogata haberi potest dispositio Bonifacii VIII in cap. unic. *de despons. impuberum* vi cuius valida *praesumebantur* sponsalia quae pater aut mater pro filiis contraxerant, modo filii, si contractui sponsalitio praesentes essent, huic non contradixissent, si autem absentes essent, sponsalia contracta postea signo aliquo rata haberent. Praeterea matrimonium impuberum quod ob impedimentum aetatis invalidum est. iam non constituit sponsalia valida, etiamsi scriptis mandatum foret. Et sane, praeterquam quod dubium est, num eiusmodi matrimonium unquam valida sponsalia constituerit, deest solemnitas ad sponsalia valida requisita, nimirum scriptura quae non *ipsum contractum matrimonialem*, sed *promissionem* contractus matrimonialis exprimat. Deinde copula admissa inter *nubiles decreto adstrictos* non amplius praesumitur induxisse sponsalia prout antea in aliquibus casibus ea induxisse pro foro externo praesumebatur [1]). Denique, uti S. C. de Sacram. d. 13 Mart. 1911 declaravit, abolitum est ius speciale quod in Hispania atque in America Latina vigebat atque ad valorem sponsalium requirebat scripturam publicam a notario subsignatam.

c) Impuberes sub iure novo aeque ac sub iure antiquo sponsalia valent inire; verum ut valida sint, scriptis mandentur oportet. Quod autem conscribuntur non impedit, quominus possint post adeptam pubertatem ad normam regularum sub antiquo iure vigentium [2]) rescindi.

d) Denique sponsalia dissolvuntur eodem modo quo antea. Notes tamen, ea per amissionem instrumenti non dissolvi. Praeterea, ut dissolutio pro foro externo probetur, eaedem quae antea regulae servandae sunt. Non requiritur, ut documentum quod sponsalia continet, dilaceretur vel scripto revocetur. Praestat tamen documentum. sponsalibus legitime dissolutis, dilacerari; quandoquidem iudex ecclesiasticus instrumento scripto inhaerebit, nisi dissolutio sponsalium rite probetur.

---

[1]) *De Smet*, De Sponsalibus et Matrimonio², p. 6 et 10.
[2]) *De Smet*, O. c. p. 22.

Vis et obligatio formalitatum.

Antequam de vi et obligatione formalitatum dicamus, observatum volumus, effectus sponsalium esse duplicis speciei, naturales et canonicos. Effectus naturales sunt: obligatio iustitiae commutativae nubendi personae quacum aliquis sponsalia contraxit; obligatio, involuta priori, non ineundi matrimonii cum alia persona; inhabilitas contrahendi sponsalia valida cum alio; denique obligatio mutuae fidelitatis, quae quidem obligatio praeter alia involvit obligationem evitandi actus luxuriosos, maxime vero fornicationem cum tertia persona. Disputatur autem, num praedicta obligatio per se sit obligatio eaque gravis *iustitiae commutativae*. Plerique auctores affirmant; verum S. Alphonsus sententiam quae illud negat, pro satis fundata habet [1]). Et sane; sponsalia equidem inducunt obligationem non reddendi corpus *ineptum* ad usum matrimonii, item illud suo tempore tradendi alteri parti; verum dubium est, num obligatio sit illud tradendi *tale quale erat tempore promissionis*. Id, si de aliis rebus promissis sermo est, aliquando ex adiunctis patebit; in casu vero res vere dubia esse videtur. Praeterea dato, non concesso, per sponsalia praedictam obligationem induci, merito in dubium vocatur, num fornicatio *qua talis* corpus in ordine ad usum matrimonii *notabiliter deterius* reddat.

Effectus *canonici* sunt: agnitio et sanctio effectuum naturalium a parte Ecclesiae, atque impedimentum dirimens matrimonium cum persona quae desponsato in primo gradu consanguinea est.

Quibus de effectibus sponsalium observatis, dico:

I. Formalitates constitutae requiruntur, ut sponsalia *canonicos* sortiantur effectus. Patet ex tenore articuli I^mi.

Disputatur, num praedictae formalitates etiam ad effectus *naturales* producendos necessariae sint, ita ut sponsalia inita absque solemnitatibus quas descripsimus, ne *in foro conscientiae* quidem obligent — saltem non *ex iustitia* — ad contrahendum matrimonium. Porro quamvis ali qui auctores censeant, a spon-

[1]) *Theol. mor.*, VI, 847, ed. Gaudé.

salibus privatis naturales effectus produci, nihilominus opinio contraria pro fere certa habenda videtur.

Atque primum quidem negari nequit, in sola hac altera sententia omnia praecaveri incommoda quae e sponsalibus clandestinis oriri nata sunt, quaeque praecauta voluit decretum, nimirum deceptionem puellarum, sponsalia leviter contracta et difficultates ex utrisque tam pro confessariis quam pro Auctoritate ecclesiastica orituras.

Deinde admisso, sponsalia naturales effectus producere, canonicis non productis, facillime conflictus forum internum inter et externum exsurget.

Tum S. Congr. super negotiis ecclesiasticis extraordinariis die 5 Nov. 1902 declaravit, sponsalia in Hispania et in America Latina sine notarii interventu celebrata pro utroque foro invalida esse; quod innuere videtur, Ecclesiam eamdem disciplinam in omnes regiones inducere intendisse.

Denique favet huic sententiae auctoritas Card. Gennari, S. Congregationis Concilii Praefecti [1]) aliorumque auctorum qui iam quasi communiter sententiae propugnatae calculum adiciunt. Restat igitur, ut dicamus, mentem legislatoris satis manifestam esse, ut difficultatem quam littera legis facessere possit, spernere possimus.

Itaque sponsalia privata *per se* non inducunt obligationem *iustitiae*. Dixi 1° «per se»; quandoquidem negari nequit, aliunde seu per accidens ex sponsalibus privatis hanc obligationem posse oriri: puta, si quis dolose iniret sponsalia privata cum persona ignorante, ea esse invalida, atque ita agendo causa foret, cur altera pars damnum pateretur; utique teneretur ad damnum resarciendum. Pariter restitutionis obligatione obstringeretur, qui dolose copulam haberet cum desponsata censente, sponsalia privata ab ipsis inita esse valida; item qui post sponsalia informia inita nollet amplius matrimonium inire, teneretur monere alteram partem quae expensa pro futuro matimonio factura esse praevideretur; cet.

Dixi 2°, sponsalia privata non inducere obligationem *iustitiae*; nam ulterius controvertitur, utrum necne pariant obligationem *fidelitatis*. Ad quam quaestionem ita respondet

[1]) *Gennari*, O. c.[1] p. 20 et 21.

Wernz: « Contractus sponsalitius informis, quamvis ut sponsalitius vi careat, ex fidelitate obligationem levem habet. » *(Op. c.*, IV², *p. 137)*. Haec mihi adeo dubia esse videntur, ut ea practice tunc tantum urgerem, quum ex adiunctis *pateret*, contrahentes obligationem *ab obligatione iustitiae distinctam* scil. *fidelitatis* intendisse. Si id ex adiunctis non pateat, sponsi censendi sunt *solum contractum sponsalitium* ideoque obligationem *iustitiae eamque solam* intendisse: quo posito, deesse videtur ratio admittendi obligationem *fidelitatis*, quum obligatio *iustitiae* deficit.

II. Quod attinet ad *obligationem* formalitatum noto, eas nullatenus stricto sensu *praescribi*, ita ut sponsalia, sine solemnitatibus contracta, invalida quidem, sed non *illicita* sint. Finis legislatoris sufficienter obtinetur, si sponsalia informia *irritentur*, quin *prohibeantur*. Accedit, quod lex quae non solum *irritet*, verum etiam *prohibeat* sponsalia informia, innumeris atque continuis transgressionibus ansam praeberet ideoque ad bonum commune non conduceret. Equidem aliqui opponunt, contractus quos ius positivum *ob bonum commune* irritet, etiam *prohibitos* esse. Iam vero sponsalia informia *ob bonum commune* irritantur. Respondeo autem, contractus ob bonum commune irritatos, tunc etiam *prohiberi*, quum irritantur, quia eorum *exsecutio* bono communi noceret; secus assertum generaliter sumptum negari debet. Porro dici nequit, *exsecutionem* sponsalium informium bono communi nocere.

Quaestiones et dubia.

Quinam statutis supra expositis astringantur, in expositione art. XI[i] dicetur. Restat igitur, ut quaestiones quasdam atque dubia minoris momenti pertractemus.

Decretum respicitne etiam contractus qui vera sponsalia non sunt, scil. promissionem unilateralem alicui nubendi et promissionem unilateralem vel bilateralem ineundi sponsalia?

R. Alii censent, eiusmodi promissiones decreto comprehendi. Rationes sunt: *a*) Fere eadem ex eiusmodi promissionibus clandestinis validis sequerentur incommoda ac ex sponsalibus clandestinis validis. Hinc legislator censendus est priores

aeque ac posteriores respexisse [1]). *b*) Legislator qui contractum promissorium matrimonii perfectissimum irritat, nisi forma praescripta fuerit adhibita, etiam contractus minus perfectos eamdem materiam spectantes atque sine solemnitate initos, irritasse dicendus est.

Alii propugnant contrariam sententiam quae quidem praeplacet ob rationes quae sequuntur: *a*) Lex de *solis sponsalibus* sermonem facit. *b*) Praedicti argumenti vis augetur ex eo quod lex nova, si sensu adversariorum sumenda foret, involveret restrictionem iuris exsistentis, immo ipsius iuris naturalis. Atqui eiusmodi restrictio non est admittenda, nisi a legislatore clare exprimatur, quod in casu non obtinet, uti probant et ipse tenor legis quae de solis sponsalibus mentionem facit, et controversia inter auctores exorta. Notes tamen, practice raro haberi promissionem unilateralem; ut bilateralis sit, sufficit repromissio implicita. Promissio autem unilateralis si habeatur, practice obligat sub gravi aut sub levi, prout promittens censendus est sese ex iustitia aut ex sola fidelitate obligasse. Quodsi promissioni ab una parte factae atque ex iustitia obliganti postea aequalis promissio alterius partis accederet, posterior haec promissio invalida foret — secus enim vera sponsalia constituerentur — prior vero in suo vigore persisteret. Attamen hoc consectarium necnon argumenta a fautoribus contrariae sententiae allata suadent extensionem legis ad contractus qui vera sponsalia non sunt.

Quid efficit iuramentum quod sponsalibus privatis adiunctum est?

R. I. — Iuramentum sponsalibus privatis adiectum haec non confirmat sub *ratione formali contractus*, a. v. non efficit, ut *vera sponsalia* evadant. Equidem multi veteres atque aliqui recentiores auctores docent, iuramento adiecto validos evadere contractus, quos ius positivum ob bonum privatum contrahentium irritat. Verum praeterquam quod ista sententia a permultis in dubium vocatur, adverto primum, sponsalia clandestine inita non solum ob bonum privatum contrahen-

[1]) In haec animadverti potest, eiusmodi promissiones minime saepe locum habere.

tium, sed etiam ob fines e bono communi petitos irritari. Deinde manifestum est, mentem legislatoris solemniter statuentis: «Ea tantum sponsalia habentur valida, . . . quae contracta fuerint per scripturam», manifestum est, inquam, mentem legislatoris eam esse, ut sponsalia quae non sint scriptis mandata, neque tunc pro validis habeantur, quando iuramento adiecto confirmentur.

II. Quod spectat ad alios effectus quos forte producat iuramentum, respondendum videtur prout sequitur:

1) Iuramentum ab *utraque* vel ab *una* parte sponsalibus privatis praemissis additum, videtur obligare, si sponsi iuramentum emiserint *conscii nullitatis contractus sponsalitii*. Etenim iuramentum obligat eos, si censendi sint intendisse seu voluisse obligationem iuramenti *independenter ab obligatione contractus cui adicitur*. Atqui censendi sunt id re ipsa intendisse seu voluisse, si emiserint iuramentum *conscii nullitatis contractus sponsalitii*.

Obicitur: Accessorium sequitur principale; hinc obligatio iuramenti, id est accessorii, exsurgere nequit, si obligatio contractus sponsalitii, id est principalis, deficiat.

Respondeo: Accessorium sequitur principale, si aut ratio ob quam principale corruat, etiam accessorium respiciat, aut accessorium non nisi dependenter a principali volitum sit, *conc.;* secus *nego*. Iam vero ratio ob quam contractus sponsalitius privatus non valet, scil. ius positivum, non respicit iuramentum. Neque dici potest, sponsos qui emiserint iuramentum *conscii nullitatis contractus sponsalitii*, voluisse iuramenti obligationem *dependenter ab obligatione contractus sponsalitii* seu *ab obligatione iustitiae*.

Quodsi sponsi, *nullitatis sponsalium non conscii*, iuramentum adiecerint, adeo dubium videtur, num censendi sint voluisse obligationem iuramenti *independenter ab obligatione contractus sponsalitii*, ut praedicta obligatio practice urgeri nequeat.

2) Iuramentum quo *utraque* pars, sponsalibus explicite non praemissis, iurat, se cum comparte matrimonium esse inituram, non inducit obligationem *iustitiae;* siquidem, eiusmodi obligatione inducta, constituerentur vera sponsalia; quod, forma requisita omissa, fieri nequit. Quod spectat vero ad obligationem *iuramenti* seu *religionis*, secundum supra exposita

dicendum, eam contrahi, si partes iuramentum praestiterint *consciae nullitatis contractus sponsalitii*. Si iuraverint *praedictae nullitatis non consciae*, equidem maiori iure quam in casu supra discusso dici posse videtur. obligationem religionis *independenter ab obligatione iustitiae* volitam esse; attamen res nimis dubia esse videtur. quam ut obligatio *iuramenti* seu *religionis* practice possit sustineri.

3) Denique iuramentum ab *una* parte emissum atque a comparte acceptatum inducit et obligationem *iuramenti* seu *religionis* et obligationem *iustitiae;* neque Superior ecclesiasticus eiusmodi iuramentum solvere potest, nisi bonum *commune* id exigat.

Casus practicus.

Titius et Bertha ineunt sponsalia; verum certiores facti, eiusmodi sponsalia non esse valida, parochum adeunt, ut eadem solemniter contrahant. Parochus qui leviter aegrotat, eos ad vicarium suum remittit, qui ad hunc casum delegatus una cum sponsis scripturam subsignet; quod factum est. At, duobus mensibus elapsis, Bertha quam ob nuptias optatiores sibi oblatas sponsalium cum Titio initorum poenitet, petit a confessario, num a prioribus sponsalibus recedere possit.

Solutio.

Berthae responderi potest, eam posse ad nuptias optatiores convolare. Nam, uti e supra dictis patet, satis certum est, sponsalia, absque solemnitate quam superioribus pagellis descripsimus, inita, non solum canonicis verum etiam naturalibus effectibus destituta exsistere. Iam vero in sponsalibus a Titio et Bertha contractis solemnitas requisita defuit; idque ex eo, quod delegatio subsignandi scripturam vicario facta invalida, eaque de causa ipsa eius subsignatio illegitima fuit.

ARTICULUS II.

De eis qui in decreto « Ne temere » veniunt nomine « parochi » et « Ordinarii ».

« *Nomine parochi hic et in sequentibus articulis venit non solum qui legitime praeest paroeciae canonice erectae; sed in regionibus, ubi paroeciae canonice erectae non sunt, etiam sacerdos cui in aliquo definito territorio cura animarum legitime commissa est, et parocho aequiparatur; et in missionibus, ubi territoria necdum perfecte divisa sunt, omnis sacerdos a Missionis moderatore ad animarum curam in aliqua statione universaliter deputatus* ».

Attento articulo secundo decreti, nomine parochi in praesenti materia veniunt:

I. Ii qui legitime praesunt paroeciae canonice erectae; scil.:

1. *Parochi titulares* tam amovibiles quam inamovibiles;

2. *Vicarii curati* tam temporales quam perpetui parochorum habitualium, puta Episcopi, Capituli, Collegii, penes quos habitualis cura residet;

3. *Oeconomi curati* paroeciarum vacantium (deservitores);

4. Secundum aliquos ii omnes sacerdotes qui ab Ordinario, vel ad normam iuris in dioecesi vigentis a parocho, ad universalem animarum curam deputati sunt, sive quia parochus absens est, sive quia infirmitate aliove impedimento impeditus est. Ratio, quia eiusmodi sacerdotes dici possunt *praesse paroeciae*, etsi beneficio parochiali non fruantur. Attamen haec opinio, maxime quatenus respicit deputatos a *parocho*, a plerisque reicitur, tum quia S. C. Conc. d. 28 Mart. 1908 absolute respondit, sponsalia non posse celebrari coram delegato ab Ordinario vel a Parocho, tum quia principium generale est, neminem sine Principis licentia posse delegari, ut testem qualificatum agat. Haec argumenta utique valore non carent, sed tamen peremptoria non sunt: siquidem attenuari possunt respondendo, tam responsum S. C. Conc. quam principium generale intellegi posse de delegatione *directa*, *immediata* seu *proprie dicta* ad functionem testis qualificati; quod non certo impedit, quominus admittatur, aliquem posse ab Ordi-

nario et a parocho ita deputari ad curam animarum, ut dici possit *praeesse paroeciae*. Huic autem conditioni ius assistendi sponsalibus annexum est. Verum quum contraria sententia multo communius atque ab ipso etiam Praefecto S. Congregationis Concilii propugnetur [1]), suspicari licet, dubium in hanc partem solutum iri. Ceterum quoad eos qui sub 4 designati sunt, notes haec:

a) Facultas administrandi omnia sacramenta non necessario involvit deputationem ad universalem curam animarum, quum non necessario involvat facultatem assistendi matrimoniis [2]). Utrum necne hic et nunc eam involvat, ex adiunctis diiudicandum est.

b) Is qui vices implet parochi aut ad breve tempus absentis, aut praesentis sed ad breve tempus impediti, non solet deputari ad curam universalem, adeo ut in eiusmodi casu plerumque non satis constaturum sit de eiusmodi deputatione, nisi expressis verbis enuntietur.

II. In regionibus, ubi paroeciae canonice erectae non sunt, nomine parochi venit sacerdos cui in aliquo definito territorio cura animarum legitime commissa est et qui parocho aequiparatur. Eiusmodi sunt rectores inamovibiles et amovibiles in America Septentrionali.

III. In missionibus, ubi territoria necdum perfecte divisa sunt, pro parocho habetur omnis sacerdos a Missionis moderatore ad animarum curam in aliqua statione universaliter deputatus. Ad quae notanda:

1. Moderator Missionis est Vicarius Apostolicus, Praefectus Apostolicus. Superior regularis vel Visitator qua talis moderator Missionis non est.

2. Sufficit, ut aliquis ad breve tempus universaliter deputetur.

3. Nihil impedit, quominus moderator missionis *plures* missionarios pro *integra* missione deputet. Disputatur vero, num ille qui *in aliqua statione* universaliter deputatus est, *per se*, i. e. nisi contrarium exprimatur, pro toto Missionis territorio parochus competens dicendus sit. Affirmandum videtur; etenim expedit, ampliores in Missionibus facultates

[1]) *Il Monitore ecclesiastico*, 1912, p. 520.
[2]) *S. Off.* d. 7 Sept. 1898.

concedi. Dein sententia contraria dubiis ansam praebet, quum quousque Missionarii in aliqua statione constituti competentia se extendat, difficile determinetur. Fortassis ea de causa lex in casu non dicit de sacerdote qui *alicui stationi praeficitur* vel cui *aliqua statio committitur*, sed de eo qui *in aliqua statione* universaliter deputatus est.

IV. Denique, attentis declarationibus S. C. Conc., parochis accensendi sunt ii qui *parochi personales* ab aliquibus vocantur, nimirum: *a*) cappellani castrenses vel parochi qui nullum territorium, nequidem una cum alio parocho habent, sed iurisdictionem mere personalem in quasdam familias vel personas exercent, adeo ut eas sequantur quocumque se conferant. Quoad horum competentiam S. C. Conc. d. 1 Febr. 1908 (ad VII), declaravit « Nihil esse immutatum ». Itaque si antea iure celebrandi matrimonia gaudebant [1]), etiamnum *subditorum suorum*, non vero *aliorum*, matrimoniis assistere eorumque sponsalia subsignare possunt. Dubium vero est, utrum praedicta potestas *exclusiva* sit an *cumulativa* cum parocho *loci* [2]).

b) Parochi qui cum alio vel cum aliis parochis territorium habent commune, quamvis non pro omnibus incolis sed potius pro determinato personarum coetu, puta pro *Germanis* constituti sunt. Porro plures eiusmodi parochi intra territorium quod ipsis cum aliis commune est, *omnium* incolarum matrimoniis valide assistunt, *eorumdemque* sponsalia valide subsignant [3]). Haec tamen non intellegantur de parocho schismaticorum qui cum parocho catholicorum commune territorium habet; siquidem eiusmodi parochus non est a legitima auctoritate constitutus. Num autem Ecclesia defectum potestatis in tali parocho aliquando suppleat, dubium est, uti suo loco iterum notabimus.

c) Parochi qui praeter propriam paroeciam in territorio aliis parochis assignato nonnullas personas vel familias sibi subditas habent. Eiusmodi parochi in toto alieno territorio *eorum*

---

[1]) Observes tamen, *cappellanos militum* non *vi muneris* gaudere plena iurisdictione in milites; id illis, si eo fruuntur, competit ex privilegio vel speciali commissione (*De Smet* apud *Coll. Brug.*, 1908, p. 303; *S. C. Conc.* d. 24 Maii 1683 et d. 17 Sept. 1733).

[2]) Cfr. *Wernz*, Ius Decretalium IV², p. 288.

[3]) *S. C. Conc.* d. 1 Febr. 1908, ad VIII.

qui sibi subditi sunt (non aliorum) matrimoniis interesse sponsalibusque subscribere possunt [1]). Haec autem potestas ipsis *cumulativa* esse videtur cum parocho *loci*; quod deducitur ex eo quod in casu quo plures parochi commune territorium habent, unus etiam pro alterius subditis competens est. Attamen ob specialia adiuncta exceptio statuta est pro locis Indiarum Orientalium in quibus duplex viget iurisdictio. Scilicet degentes in praedictis locis « ut validum et licitum ineant matrimonium, tenentur se sistere dumtaxat coram parocho *personali* ». [2])

d) Cappellani vel rectores piorum cuiusvis generis locorum, a parochiali cura exemptorum. Eiusmodi cappellani vel rectores, modo constet, ipsis commissam esse plenam potestatem parochialem, in loco ubi iurisdictionem exercent *personarum sibi concreditarum* sponsalibus subscribere matrimoniisque assistere possunt. Controvertitur, utrum necne parochus *territorii* eadem gaudeat facultate. Negandum, si de loco *omnino* exempto agatur, secus affirmandum.

Sufficitne, ut aliquis sit parochus putativus?

R. — Affirmative, saltem si adsint titulus coloratus et error communis; siquidem nulla ratio assignari potest ob quam ius antiquum in praesenti materia immutatum esse dicatur. Si titulus coloratus desit, puta in parocho intruso, error autem communis habeatur, Ecclesia non nisi probabiliter defectum potestatis supplet, adeo ut in casu potestas dubia sit dubiaque remaneat. Hinc practice ante factum pars tutior sequenda, post factum ad S. Sedem recurrendum.

Quod spectat ad parochos schismaticorum observetur, eos carere titulo colorato. Quod autem Ecclesia ob errorem populi schismatici defectum iurisdictionis in eis supplet, id utique magis dubium est, quam si de errore populi catholici agitur: quae attendantur in diiudicanda assistentia a parocho

---

[1]) *C. S. Conc.* d. 1 Febr. 1908, ad IX.

[2]) *S. C. de Sacram.* d. 2 Jun. 1910. In Indiis Orientalibus « nonnulli Episcopi praeter communem suam iurisdictionem in propria dioecesi, iurisdictionem personalem exercent in quasdam personas, puta determinatae nationalitatis vel determinati ritus, in aliena dioecesi commorantes; et idem obtinet cum parochis respectu quorumdam fidelium extra fines propriae parochiae degentium ». (*De Smet* apud *Coll. Brug.*, 1910, p. 434.)

schismaticorum praestita matrimonio quod in facie Ecclesiae celebrari debet.

Debetne aliquis esse sacerdos, ut sit parochus sensu decreti?

R. — Affirmative, si agatur de eo cui in regionibus ubi paroeciae canonice erectae non sunt, in aliquo definito territorio cura animarum commissa est; vel de illo qui in missionibus ad animarum curam universaliter est deputatus. Patet ex articulo 2° decreti, utpote qui quod ad praedictas personas attinet signanter de « sacerdote » dicit.

Si sermo est de eo qui praeest paroeciae canonice erectae, negandum videtur, quum citatus articulus decreti in eiusmodi parocho sacerdotium non exigat, vel saltem restrictio iuris antiqui non satis pateat.

V. Nomine « Ordinarii » designantur Summus Pontifex, Episcopus dioecesanus, Administrator, Vicarius Apostolicus, Praefectus Apostolicus, Praelatus habens iurisdictionem in territorium separatum, Sede vacante Capitulum, donec Vicarius Capitularis electus sit, Vicarius Capitularis, Vicarius Generalis [1]).

Disputatur, utrum etiam Vicarius Generalis quem Vicarius Apostolicus nominat, Ordinariorum nomine comprehendatur. Porro affirmandum videtur; siquidem S. C. de Prop. Fide ad quaestionem, num Sinarum « Vicariis Apost. competat ius et potestas eligendi et constituendi vicarios seu provicarios qui, Vicariis Apost. adhuc viventibus et munus suum exercere valentibus, possint tanquam eorum Vicariorum Apost. vicarii aut provicarii idem munus exercere »; S. C. de Prop. Fide, inquam, ad istam quaestionem d. 9 Dec. 1822 respondit: « Affirmative, iuxta Constitutiones Clementinas et Benedictinas incipientes *Ex sublimi* [2])». Quum S. Cong. ad universales constitutiones provocet, doctrina proposita universaliter valere videtur.

Casus practicus.

Parochus N. tempore feriarum ab amico suo qui est in Seminario Maiori professor, invisitur. Qua occasione data,

[1]) *S. Off.* d. 20 Febr. 1888.
[2]) *S. C. de Prop. Fide* (Collect. 1907, n. 777); *Wernz*, O. c. p. 291.

propositum sumit ad tres quatuorve dies discedendi. Itaque amicum rogat, ut paroeciae suae providere velit, atque iter aggrediens dicit: « *Integram* meam paroeciam tibi committo ». Postero die Titius et Anna domum parochi adeunt rogantque professorem, ut una cum ipsis sponsalia subsignare velit. Professor paululum haesitat, at mox omne dubium excutit fixaque manu nomen apponit.

Quaeritur, num professor valide subsignaverit sponsalia.

Solutio.

Si parochus ad normam iuris in dioecesi vigentis processerit, aliquorum sententia professor valide subsignavit sponsalia: scilicet parochus qui alicui *integram* suam paroeciam committit, maxime si vocem « integram » cum emphasi pronuntiat — id quod parochus fecisse supponitur, uti vox « integram » cursivo charactere distincta innuit — eiusmodi parochus, inquam, satis certo alium ad universalem curam animarum deputat. Porro, ita ratiocinantur, sacerdos qui a parocho discessuro ita deputatus est, aliquo saltem sensu dici potest *praeesse* paroeciae. Hinc parochis de quibus decretum dicit, accensetur eaque de causa una cum partibus valide sponsalia subsignat. Attamen contraria sententia multo communius admittitur idque ob rationes supra expositas (p. 24).

ARTICULUS III.

De eis quae summatim ad valorem matrimonii requiruntur.

« *Ea tantum matrimonia valida sunt, quae contrahuntur coram parocho vel loci Ordinario vel sacerdote ab alterutro delegato, et duobus saltem testibus, iuxta tamen regulas in seqq. art. expressas, et salvis exceptionibus quae infra n. 7 et 8 ponuntur* ».

Summa impedimenti quod « clandestinitatis » dicitur, haec est: Ut matrimonium validum sit, contrahi debet coram parocho vel loci Ordinario vel sacerdote ab alterutro delegato, et duobus saltem testibus.

I. Agedum voces « parochi » et « loci Ordinarii » sumi debent sensu supra exposito; quis vero ab eis delegari possit et qua ratione delegatio perficienda sit, postea explanabitur.

II. Denique quod ad testes attinet, nihil a iure novo innovatum est. Hinc:

1. Praeter parochum, id est, testem qualificatum adsint testes *saltem duo*. Ita decretum (Art. III).

2. Quod spectat ad validitatem tanquam testes assumi possunt personae *qualescumque*, modo actualiter rationis usu gaudeant. Verum per se illicitum est adhibere testes *acatholicos;* possunt tamen « ab Ordinario tolerari ex gravi causa, dummodo non adsit scandalum » [1]). Mulieres adhiberi licet, sed non convenit.

3. Ad valorem non requiritur, ut testes *designati et rogati* adhibeantur; sufficit, ut praeter testem qualificatum duae vel plures personae utcumque matrimonio assistant, eiusque testes evadant [2]).

Nihilo minus quod ad liceitatem attinet parochus tenetur determinatis et rogatis testibus uti; siquidem et Rituale Romanum et decretum *Ne temere* praescribit, ut coniugum et *testium* nomina describantur; quod practice fieri nequit, nisi parochus testes determinatos et rogatos adhibeat.

III. Quoad *assistentiam* parochi et testium, haec debet esse:

1. *completa* i. e. respiciat integrum matrimonium, ita scil. ut singuli tam consensui a sponso quam consensui a sponsa dando assistant [3]). Non obstat valori, quod primo una pars, postea, *priori parte absente*, altera coram parocho et testibus consensum eliciat.

2. *physica;* siquidem dicitur, matrimonium contrahendum esse « *coram* parocho .... et duobus saltem testibus ». Iam vero assistentia *physica* abesse videtur, si nupturientes solummodo ope telephonii audiri possint et audiantur, vel solum ope telescopii videri possint et videantur.

---

[1]) *S. C. de Prop. Fide*, d. 9 Dec. 1822 (Collect. 1907. n. 779); *S. Off.* d. 17 Aug. 1891.

[2]) *S. C. de Prop. Fide*, d. 2 Jul. 1827 ad Vic. Apost. Tunkin. (Collect. 1907, n. 794).

[3]) Etiam notari solet, assistentiam parochi et testium debere esse *simultaneam;* verum id contingit eo ipso quod singuli utriusque partis consensui assistunt.

3. *moralis*, id est, parochus et testes immediate ea percipiant, ex quibus consensus datus satis certo colligitur. Id autem fieri potest etiamsi testis auditu aut visu careat; non autem si et visu et auditu destitutus est. Insuper valor matrimonii non videtur pessumdari ex eo, quod parochus, consensu requisito, sibi ipsi causa sit non percipiendi matrimonium, puta aures obturando oculosve velando [1]); etenim non convenit, valorem matrimonii ita a parochi arbitrio dependere (Bened. XIV, *De Syn. dioec.*, l. XIII, c. 23). [2]). Idem ob paritatem rationis testibus applicari posse videtur. Advertas, in posita hypothesi parochos et testes non esse *mere physice* praesentes matrimonio; nam probe sciunt, matrimonium aliquod publice contrahi. Praeterea notes:

Quoad assistentiam testium: Non solum non requiritur, uti iam dictum est, ut rogentur, verum neque *valori* obstat, eos vi vel metu coactos assistere. Utrum requiratur, ut assistentia testium sit *formalis*, id est, ut contrahentes velint testes qua tales adhibere, an sufficiat, ut testes quo demum cumque modo consensum percipiant, id disputationi obnoxium est.

Pro priori sententia cui plerique auctores adhaerent, allegatur S. C. Conc. [3]).

Alteri sententiae favet tam textus legis quae solum requirit, ut matrimonium coram testibus contrahatur, quam finis eius qui est, ut testes de contracto matrimonio testificari possint; qui quidem finis etiam per testes qui non sunt formaliter adhibiti, obtinetur. Accedit, quod S. C. de Prop. Fide d. 2 Iulii 1827 ad quaestionem: « Utrum post promulgationem Decreti Tridentini, quando ob persecutionem, vel ob alias rationabiles causas non est christianis facilis aditus ad missionarium, proindeque matrimonium ii contrahunt secundum

---

[1]) Utique casus non facile occurret.

[2]) *Vlaming*, Praelectiones de iure matrimonii, p. 324. Equidem parochus debet, spectato art. V, *excipere contrahentium consensum*. Verum actus *excipiendi consensus* adesse videtur eo ipso quod minister assistens, consensu requisito, huius testis evadit (p. 36). Hinc posito, parochum fieri posse testem, quamvis sibimet ipsi causa sit non percipiendi matrimonii, sequitur, eum etiam excipere posse consensum requisitum, etiamsi ex propria causa consensum non percipiat.

[3]) In caus. rel. a Bened. XIV, *De Syn. dioec.*, l. XIII, c. 23, n. 1 et 5.

morem patriae coram parentibus, cognatis et propinquis utriusque coniugis, qui celebrationi matrimonii assistunt, non rogatis testibus determinatis, *neque formaliter adhibitis*, qui de matrimoniali illo contractu, si opus fuerit, fidem facere possint, cum aliunde sint plures, qui licet nec rogati, nec *formaliter adhibiti* fuerint, de matrimonio tamen more patriae inito, et de consensu utriusque coniugis, si non verbis, signis saltem sensibilibus expresso, possent facere fidem si de ea re interrogarentur, sit tunc validum matrimonium tali modo contractum », accedit, inquam, quod S. C. ad hanc quaestionem respondit: « Affirmative, quatenus testibus certo constet de praestatione consensus » [1]). Ceterum certo non requiritur, ut testes praevie de matrimonio contrahendo moneantur.

Quoad assistentiam parochi vel delegati: Assistentia parochi eiusve delegati debet esse *formalis* ut dicitur, seu parochus eiusve delegatus debet *adhiberi tanquam testis autorizabilis:* debent enim assistere *invitati ac rogati.* Praeterea requiritur, ut neque vi neque metu gravi astricti matrimonio intersint; quae mox fusius exponentur [2]).

ARTICULUS IV.

De assistentia a parocho vel loci Ordinario valide praestita.

« *Parochus et loci Ordinarius valide matrimonio assistunt:*

§ 1. *a die tantummodo adeptae possessionis beneficii vel initi officii, nisi publico decreto nominatim fuerint excommunicati vel ab officio suspensi*;

§ 2. *intra limites dumtaxat sui territorii, in quo matrimoniis nedum suorum subditorum, sed etiam non subditorum valide assistunt;*

---

[1]) *Collect.* 1907, n. 794.

[2]) Ordinariis Sinensium concessa est facultas dispensandi in omni casu verae necessitatis a formalitate substantiali matrimonii, cum potestate hanc facultatem etiam habitualiter subdelegandi missionum rectoribus (*S. C. Conc.* d. 27 Iul. 1908; *S. C. de Sacram.* d. 12 Mart. 1910).

§ 3. *dummodo invitati ac rogati, et neque vi neque gravi metu constricti requirant excipiantque contrahentium consensum*».

Singula singulatim repetere atque paucis exponere lubet.

§ 1. «*A die tantum adeptae possessionis beneficii vel initi officii, nisi publico decreto nominatim fuerint excommunicati vel ab officio suspensi*».

I. Oportet igitur, parochus vel Ordinarius possessionem beneficii adepti sint, aut officium inierint. Porro S. C. Conc. respondit, «nomine possessionis hic intellegi illum actum qui, sive institutio corporalis, sive inthronizatio, sive installatio, sive aliter nuncupetur, tamen semper id efficit, ut institutus in beneficium exinde adipiscatur liberum exercitium potestatis, suo officio annexae» [1]). Itaque Episcopi per exhibitionem litterarum Apostolicarum in Capitulo in beneficii possessionem mittuntur. Quoad obtinendam possessionem beneficii a parocho attendantur consuetudo statutaque particularia, sive haec introductionem in beneficium ab Ordinario eiusve delegato peragendam, sive mere signum possessionis adipiscendae a parocho ponendum exigunt. Praeterea noto cum Gennari [2]), etiam eum qui, approbante Episcopo, curam paroeciae susceperit, antequam formaliter possessionem beneficii acquisiverit, etiam eiusmodi inquam, valide matrimonio assistere, sive quia possessionem materialem, ut ita dicam, adeptus est, sive quia modo ineuntis officium competentiam obtinuit. Sicuti beneficium ita etiam *officium* initur per actum qui efficit, ut officio institutus acquirat liberum exercitium potestatis suo officio annexae.

II. Praeterea requiritur, ut parochus vel Ordinarius non sint publico decreto nominatim excommunicati. Porro, ut aliquis nominatim excommunicetur — quo casu etiam publico decreto excommunicari solet — opus est, eum proprio nomine ac praenomine vel saltem iis verbis quae hanc individuam personam exprimant, excommunicari. Itaque non sufficit, ut aliquis generali aliqua expressione comprehendatur, neque ut ipso facto, puta ob haeresim externatam, in excommuni-

[1]) *Rescript. S. C. Conc. Archiepiscopo Olomucensi*, d. 2 Mart. 1908.
[2]) *O. c.*, p. 27.

cationem inciderit, neque ut excommunicatione plexus sit, ob quam sit vitandus. Immo censemus, neque eum privari facultate valide assistendi, qui publice ad sectam haereticam transiit, sed nondum publico decreto nominatim excommunicatus vel ab officio suspensus est. Secundum alios, etiam post decretum *Ne temere*, is qui publice haereticus est, *eo ipso* desinit esse parochus, eaque de causa iure assistendi matrimonio privatur [1]).

III. Denique parochus vel Ordinarius non sint nominatim et publico decreto ab officio suspensi. Quocirca observandum, quadruplicem distingui suspensionem, nimirum suspensionem *ab ordine*, *a iurisdictione*, *a beneficio* et *ab officio*. Suspensio *ab ordine* usu sacrorum ordinum, intacta iurisdictione; suspensio *a iurisdictione* usu iurisdictionis, intacto usu sacrorum ordinum, qui iurisdictionem non exigit; suspensio *a beneficio* perceptione atque administratione fructuum beneficii, relicto beneficii titulo; suspensio *ab officio* usu et ordinum et iurisdictionis privat. Iam age, *sola* suspensio *ab officio* impedit, quominus parochus valide matrimonio assistat. Neque contradictionem esse reputes in eo, quod quis sit suspensus *a iurisdictione* et nihilo minus matrimonio assistere possit; siquidem actus assistendi matrimonio exercitium *iurisdictionis* non involvit.

§ 2. « *Intra limites dumtaxat sui territorii in quo matrimoniis nedum suorum subditorum, sed etiam non subditorum valide assistunt* ».

En praecipua antiqui iuris mutatio, qua videlicet praecaventur dubia de validitate matrimonii, antehac e domicilii vel quasi-domicilii determinatione haud raro oriunda. Itaque competentia parochi et Ordinarii quod ad validam assistentiam attinet ita territorio annexa est, ut *intra* territorii sui limites *omnium*, etiam non subditorum, *extra* eos *nullius*, neque subditorum matrimonio valide intersint. Observes tamen, domus et ecclesias Regularium exemptorum valere, quoad assistentiam sponsalibus et matrimonio, tanquam territorium parochi et Ordinarii, in quorum districtu territoriali sitae sunt [2]).

§ 3. « *Dummodo invitati ac rogati et neque vi neque gravi*

[1]) Cfr. *Nouvelle Revue théol.* 1910, p. 467.
[2]) *S. C. de Sacram.* d. 12 Mart. 1910, ad VIII.

metu constricti requirant excipiantque contrahentium consensum».

Haec paragraphus praesertim tria involvit.

I. Parochus sit invitatus ac rogatus. Hinc in posterum iam non sufficit, ut contrahentes intendant parochum in testem assumere atque coram eo, consensum testari valente, matrimonium contrahant; sed invitatio assistendi connubio praecesserit necesse est. Invitatio autem non solum explicite, verum etiam implicite fieri potest [1]); puta eo ipso, quod sponsi de praemittendo matrimonio cum parocho tractant; item nutu, ictu oculorum vel etiam eo quod contrahentes sese parocho praesentant, modo haec aliave signa visis adiunctis, invitationem exprimant. Pariter sufficit, ut sponsi, puta concubinarii aliive, ab ipso parocho vel a missionario ad matrimonium impulsi, tandem voto obsequi velint. Ipsamet eorum monitis assensio sufficientem invitationem involvit. Immo plures censent, etiam interpretativam invitationem sufficere; quod tamen dubium mihi est, quum in casu de facto non habeatur invitatio. Praeterea non est necesse, invitatio matrimonii celebrationem *immediate* praecesserit; satis est, eam fuisse factam atque moraliter perseverare.

Denique non videtur requiri, ut invitatio ab *utraque* parte fiat. Id enim neque a lege, spectato eius tenore, exigitur, neque requiritur, ut sufficienter consultum sit fini legis, qui is solus est, ut parochus tutus sit ab insidiis. Itaque sufficere videtur, ut parochus ab *alterutra* parte vel a tertio *alterutrius* nomine rogetur. Ceterum disputatio haec exigui momenti est, quum una pars ordinarie non nisi altera parte consentiente parochum sit rogatura, immo practice utraque pars saltem implicite sit eum invitatura.

II. Parochus neque vi neque gravi metu adigatur ad assistendum matrimonio. Metus gravis intellegitur metus gravis damni, isque ab extrinseco ut dicitur, id est, a causa libera incussus. Neque refert, utrum metus ab ipsis partibus an ab alio incússus sit. Attamen metus non ita facile gravis reputetur, ne matrimonium magis quam par est, periculo nullitatis exponatur. Ad haec notes, dolum seu fraudem a contrahentibus aliisve adhibitam, ut parochus assistat, valori assistentiae non nocere.

[1]) *S. C. Conc.*, d. 28 Mart. 1908, ad IV.

Debetne metus, ut validae assistentiae obstet, esse incussus ad extorquendam assistentiam?

R. Affirmandum videtur; siquidem dispositio, vi cuius metus in alium finem incussus valori assistentiae obstaret, causam hanc nimis implicaret, quin etiam interdum magis quam par est dubiis de valore matrimonii ansam praebere posset.

Debetne metus, ut valori assistentiae obstet, esse iniuste incussus?

R. Auctores in tres abeunt sententias. Alii censent, metum iuste incussum nunquam valori assistentiae obstare [1]). Alii docent, metum iuste incussum tunc solum valori non nocere, quum et quoad substantiam et quoad modum iustus est [2]). Porro quoad modum iniustus dicitur, si indecenter atque indebite adhibitus est. Alii [3]), quorum quidem opinio praeplacet, existimant, metum gravem iuste incussum aeque ac metum iniuste incussum semper valori assistentiae obstare. Atque primum quidem huic sententiae favet tenor legis, utpote quae non distinguat inter metum iuste et iniuste incussum. Quod argumentum eo magis urget, quod praedicta distinctio S. Congregationi proposita, sed ab ea reiecta est [4]). Accedit, quod ista distinctio hanc rem inutiliter magis quam par est implicat. Equidem metus gravis, iuste incussus *sponso* vel *sponsae*, valori *matrimonii* non obstat. Verum id requiritur, quia secus posset contingere, ut deficeret unicum medium perveniendi ad matrimonium, ad quod quis ius habeat, nimirum metus iuste incussus. Ea autem ratio in casu nostro non valet, quum, parocho iniuste assistentiam denegante, detur occasio atque facultas alibi contrahendi. Attamen excipiendus videtur metus iuste incussus qui versatur intra sphaeram seu in linea ipsius legis. Hinc valet assistentia praestita, sive quia Episcopus parochum invitum per poenas ad debitam assistentiam cogit, sive quia nupturientes minantur, sé parochum qui iniuste assistentiam denegat, esse denuntiaturos Ordinario.

---

[1]) Ita *Leitner*, O. c. S. 37.
[2]) Ita *De Becker*, O. c. p. 27; *Van den Acker*, O. c. p. 34.
[3]) Ita *Besson*, Nouvelle Revue théol. 1907, p. 34; *Choupin*, O. c.[2] n. 31; *Wernz*, O. c.[2] p. 301.
[4]) *Acta S. Sedis*, XL, p. 338.

III. Postremo parochus contrahentium consensum requirat atque excipiat; quod quidem exigitur, quo magis libertati parochi consulatur, atque matrimonia ex inopinato facta praecaveantur. Itaque satis non est, ut parochus consensus matrimonialis mere testem agat, verum oportet — idque in posterum etiam pro matrimoniis mixtis [1]) quibus interfuturus est, exigitur — oportet, inquam, aliquo modo contrahentium consensum requirat; sufficit autem ad valorem, ut parochus vel loci Ordinarius illud per signum, nutum vel scriptum peragant; immo adiuncta videntur eiusmodi esse posse, ut *sola* parochi *praesentia* requisitionem consensus involvat [2]). Quod spectat ad liceitatem servetur forma a Rituali praescripta.

Decretum addit, contrahentium consensum esse requirendum et *excipiendum*; verum actus *excipiendi* consensum eo ipso contingit, quod parochus consensus a se requisiti atque a partibus emissi testis autorizabilis evadit. Id autem fit, modo parochus immediate percipiat ea ex quibus consensus datus satis certo colligitur. Immo id, uti supra diximus, contingere videtur, etiamsi parochus post requisitum consensum sibi ipsi causa sit, cur non percipiat matrimonium. (Cf. p. 31).

Licetne parocho requirere consensum nupturientium, si agatur de matrimonio illicito?

R. Duplex hypothesis poni potest; videlicet agitur aut de matrimonio quod hic et nunc licite contrahi *potest*, sed illicite contractum iri praevidetur; aut de matrimonio quod hic et nunc licite iniri *nequit*.

Porro ratio dubitandi in eo est, quod actus requirendi consensus *invitationem* ad matrimonium, eaque de causa in posita hypothesi cooperationem *formalem* ad malum involvere videtur. Nihilo minus dico:

1. Casu quo licet *assistere* matrimonio, etiam licitum est *requirere consensum* nupturientium, sive matrimonium hic et

[1]) *S. C. Conc.* d. 27 Iul. 1908, ad III.

[2]) Lex *Neerlandica* (art. 136 cod. civ. et art. 449 cod. poen.) non vetat ministrum religionis *assistere* matrimonio, antequam hoc civiliter celebratum est, sed prohibet, quominus minister ante nuptias civiliter contractas *caeremoniam religiosam* praestet. Porro actus *requirendi consensus* nequit dici *caeremonia religiosa*. De lege Neerlandica agit Schaepman in «Het burgerlijk huwelijk der Roomsch-Katholieken in Nederland», 1900, Utrecht.

nunc licite contrahi potest, sed illicite contrahitur, sive non potest hic et nunc licite contrahi. Et sane; actus *requirendi consensus* ex se non involvit *invitationem* ad matrimonium ineundum, sed *meram investigationem, num nupturientes matrimonium inire velint.* Abest igitur cooperatio *formalis.*

2. Dato — non concesso — actum requirendi consensum involvere invitationem, nihilo minus, data licentia assistendi, etiam licet requirere consensum; *a*) si agatur de matrimonio quod hic et nunc licite iniri *potest*, etsi illud illicite contractum iri praevideatur; *b*) si — esto agatur de matrimonio quod hic et nunc licite iniri nequit — secus nupturientes in concubinatu victuri esse praevideantur; quandoquidem licet alicui suadere, ut potius minus quam maius malum admittat.

Expositis eis quae spectato novo iure ad valorem matrimonii requiruntur, iam inquirere lubet, qua ratione matrimonium inter absentes contrahi possit.

Equidem dubium non est, quin etiam sub novo iure nuptiae per procuratorem atque inter absentes celebrari possint. Verum censeo, matrimonium inter absentes probabiliter non perfici per *ea sola* quae multi auctores recensent.

Plures ita procedi posse docent. Si una pars absit, parochus invitatus saltem ab alterutra parte (puta ab Anna) parti absenti (puta Petro) coram testibus litteras mittat, quibus consensum eius (Petri) exquirat. Dein altera pars (Petrus) rescribat, se consensum praestare atque consensum a comparte (Anna) praestandum acceptare. Tum parochus litteras ab altera parte (Petro) conscriptas legat coram iisdem testibus et comparte (Anna). Lectis litteris, compars (Anna) consensum praestet.

Si utraque pars (puta Paulus et Maria) absens sit, parochus ab alterutra saltem parte rogatus, ad utramque partem coram testibus mittat litteras, quibus consensum exquirat. Utraque pars scribat, se consensum praestare atque alterius consensum acceptare. Dein parochus litteras ab utraque parte conscriptas coram iisdem testibus legat.

Ita plerique auctores; verum pro probabiliori habeo, praedicta non sufficere, atque matrimonium tum tantum certo validum esse, quum in casu *priori* consensus Annae Petro,

in casu *altero* consensus Pauli Mariae, consensus vero Mariae Paulo manifestatus est. Etenim una pars alterius consensum valide acceptare nequit, antequam haec (i. e. altera pars) consensum suum comparti manifestaverit. Atqui in casu *priori* consensus ab Anna datus non manifestatur Petro; in casu *altero* neque consensus Pauli Mariae, neque consensus Mariae Paulo significatus est. *Propositio maior* deducitur ex eo, quod consensus unius ab altero valide acceptari nequit, antequam alteri *oblatus* fuerit: donec oblatio locum habuerit, homo remanet dominus voluntatis seu consensus sui. Atqui consensus offertur per *manifestationem*. Fac, ut rem exemplo illustrem atque confirmem, A velle inire contractum cum B eumque in finem ad eum litteras dare, quibus suum exprimit consensum. B respondet, se proposito assentiri; sed, mutato consilio, responsum scriptis mandatum at nondum dimissum, delet. Nemo utique pro certo habuerit, B contractus violati reum esse. Quod efficit, contractum probabiliter non perfici, antequam utraque pars consensum suum alteri nuntiaverit.

Obicitur: Nihil impedit, quominus is qui offerat contractum, simul alterius consensum acceptet, idque hypothetice, nimirum sub conditione, quod alter consensum praestiturus sit.

Respondeo: Consensus alterius nequit valide acceptari, antequam alter consensum suum offerenti contractum *obtulerit*. Atqui conditio supposita, i. e. consensus ab altero praestandus immo praestitus sed offerenti contractum non manifestatus, *oblationem* consensus non involvit. Nemo v. g. B de quo modo diximus, contractus laesi accusaverit, etiamsi A non solum suum consensum obtulisset, verum etiam consensum B hypothetice acceptasset. Hanc sententiam propugnat De Lugo [1]), eamdemque doctrinam quoad contractus onerosos in genere admittunt plerique iurisperiti [2]) pluresque theologi uti Lessius [3]), Marres [4]) et alii; neque Sweens illam reicit [5]). Quod si quis eam ob argumentum a nobis allatum

---

[1]) *De sacramentis in genere*, disp. 9. n. 135. sq., *De iustitia et iure*, disp. 22. n. 27 sq.

[2]) Ita *Toullier*, *Troplong*, *Larombière*, *Demolombe*, *Laurent*, *Asser*. (apud *Marres*, De Iustitia, l. 3, n. 52).

[3]) *De Iure et Iustitia*, l. II, c. XVIII, n. 52.

[4]) *De Iustitia*, l. c.

[5]) *Instit. theol. de virtute cardinali Iustitiae*, n. 625.

pro probabili habeat, eam in praxim deducat necesse est, ne scilicet matrimonium nullitatis periculo exponatur.

Si autem quaeras, qua igitur ratione matrimonium inter absentes certo valide contrahi queat, respondeo ita posse procedi.

Si una pars absens sit, parochus ab alteruta parte rogatus, coram testibus consensum partis praesentis (puta Annae) requirat atque ad partem absentem (puta ad Petrum) litteras det, quibus et nomine partis praesentis (Annae) consensum huius significet, et compartis (Petri) consensum requirat. Pars absens (Petrus) rescribat, se consensum alterius acceptare suumque praestare. Litterae acceptae a parocho coram parte praesente (Anna) et iisdem testibus legantur, consensusque a parte absente datus a parte praesente acceptetur.

Si utraque pars absens sit, practice utraque vel saltem alterutra pars procuratorem constituat. Quod si utraque pars id fecerit, procuratores modo consueto coram parocho et testibus nomine sponsorum nuptias ineant. Si una tantum pars procuratorem elegerit, parochus invitatus coram testibus consensum procuratoris requirat atque ad partem absentem litteras mittat, quibus et nomine procuratoris consensum huius significet et partis absentis consensum requirat [1]). Pars absens respondeat, se consensum datum acceptare suumque praestare. Lectis litteris, consensuque partis absentis a procuratore coram parocho et iisdem testibus acceptato, matrimonium contractum est.

Equidem absolute loquendo fieri potest, ut, utraque parte absente, matrimonium sine procuratore ineatur; verum medium *practicum* quo id, saltem sine quasi-procuratore fiat, difficile assignatur. Dixi « saltem sine quasi-procuratore » : etenim etiam hac ratione satis tuto procedi posse videtur. Parochus invitatus coram testibus ad utramque partem litteras mittat, quibus consensum requirat. Utraque pars rescribat, se et consensum praestare et alteri personae facultatem facere suo nomine consensum compartis acceptandi. Litterae acceptae a parocho coram iisdem testibus et persona cui consensum acceptandi facultas data est, legantur, consensusque ab utraque parte praestitus acceptetur.

[1]) Per se praestaret, ipsum procuratorem coram parocho et testibus parti absenti significare consensum, a se nomine compartis praestitum.

Casus practicus.

Iacobus missionarius ad longum tempus e statione discessurus una cum duobus catechistis iterum invisit Henricum et Annam, concubinarios, eosque denuo ad ineundum matrimonium exhortatur. Quum suspicetur, se aliquid profecisse, timeatque, ne, si de eis quae matrimonio praemittenda sunt, sermonem faciat, omnis conatus ad irritum casurus sit, « Agitedum, inquit, res facile componitur; sufficit, ut ad quaestionem a me ponendam « Etiam » respondeatis. Itaque Henrice accipisne Annam in uxorem, et tu Anna accipisne Henricum in maritum tuum? » Henricus et Anna aliquantulum cunctantur, verum, brevi mora interposita, ambo respondent: « Etiam ».

Quaeritur, num Iacobus valide matrimonio astiterit.

Solutio.

Timeo, ne matrimonium invalide contractum fuerit. Et sane, tantum abest, ut nupturientes missionarium *ad requirendum consensum invitaverint*, ut ne statim quidem exquisitioni peractae assensi sint; siquidem non nisi postquam aliquantulum cunctati fuerunt, consensum praestiterunt. Hinc, nisi dicere velimus, *invitationem* stricte loquendo ad valorem non requiri, atque sufficere, ut parochus vel Ordinarius vere *ultro agant*, matrimonium ab Henrico et Anna initum pro invalido habendum est [1]).

ARTICULUS V.

De assistentia a parocho vel loci Ordinario licite praestita.

« *Licite autem assistunt*:

§ 1. *constito sibi legitime de libero statu contrahentium, servatis de iure servandis.*

---

[1]) Plures nostrae solutioni opposuerunt, in casu proposito consensum a ministro requisitum et a partibus praestitum esse, ita ut nihil valori matrimonii obstare videatur. Verum videtur requiri, ut minister consensum requirat *invitatus ab alterutra saltem parte;* quod factum non est.

§ 2. *constito insuper de domicilio, vel saltem de menstrua commoratione alterutrius contrahentis in loco matrimonii.*

§ 3. *quod si deficiat, ut parochus et loci Ordinarius licite matrimonio adsint, indigent licentia parochi vel Ordinarii proprii alterutrius contrahentis, nisi gravis intercedat necessitas, quae ab ea excuset.*

§ 4. *quoad vagos, extra casum necessitatis parocho ne liceat eorum matrimoniis assistere, nisi re ad Ordinarium vel ad sacerdotem ab eo delegatum delata, licentiam assistendi impetraverit.*

§ 5. *in quolibet autem casu pro regula habeatur, ut matrimonium coram sponsae parocho celebretur, nisi aliqua iusta causa excuset*».

Haec ita enuntiari atque summatim exponi possunt. Ut parochus licite matrimonio assistat:

a) Constiterit ipsi legitime de statu libero contrahentium.

b) Constiterit ei de domicilio vel saltem de menstrua eaque hic et nunc perdurante commoratione alterutrius contrahentis in sua paroecia. Si neuter contrahentium neque domicilium in sua paroecia habeat, neque menstruam commorationem ibidem traxerit, parochus, nisi gravis necessitas excuset, indiget licentia parochi vel Ordinarii proprii alterutrius contrahentium, id est, parochi in cuius paroecia, vel Ordinarii in cuius dioecesi alteruter nupturientium domicilium contraxerit vel per mensem habitaverit atque etiam nunc habitet. Si uterque vel alteruter sponsorum neque in aliqua paroecia, neque in aliqua dioecesi, domicilio vel menstrua commoratione gaudeat, a. v. si uterque vel alteruter vagus sit, parocho, ut licite matrimonio intersit, licentia Ordinarii sui vel delegati ab Ordinario opus est.

c) Nisi aliqua iusta causa excuset, matrimonium coram parocho sponsae celebretur.

Quibus summatim enuntiatis, singulas canonis V[i] paragraphos paulo uberiori sermone exponemus.

§ 1. «*Constito sibi legitime de libero statu contrahentium, servatis de iure servandis*».

Haec firmant obligationem non procedendi ad matrimonii celebrationem, antequam constet de statu libero contrahentium, id est, de eorum immunitate a quocumque impedimento

tam impediente quam dirimente, maxime ab impedimento ligaminis. Porro de eo eodem modo constet necesse est, quo hucusque de eo constare debebat, visis scil. et iure communi [1]), et iure particulari per statuta vel legitimam consuetudinem introducto. Praeterea parochus non omittat testimonium baptismi a nupturientibus exigere, si hi in alia paroecia baptizati sint [2]). Quoad proclamationes vero faciendas aliqui censent, eas quae antea fieri debebant a parocho domicilii et quasi-domicilii, spectato novo iure faciendas esse a parochis *domicilii* et *menstruae commorationis;* siquidem quod ad licitam celebrationem matrimonii attinet *quasi-domicilium* suppressum est, uti statim dicemus, adeo ut parochi *domicilii* et *menstruae commorationis* nupturientium parochi *proprii* evaserint. Verum dictorum applicatio ad proclamationes adeo dubia est, ut obligatio iuris antiqui persistere censenda sit.

§ 2. « *Constito insuper de domicilio vel saltem de menstrua commoratione alterutrius in loco matrimonii* ».

Itaque ut parochus licite matrimonio assistat, oportet ut uterque vel alteruter contrahentium aut domicilium in sua paroecia habeat, aut per mensem ibidem commoratus sit atque etiam nunc commoretur. Ut Ordinarius licite assistat sufficere videtur, ut uterque vel alteruter in *dioeceseos territorio* domicilium vel menstruam commorationem habeat, non autem videtur requiri domicilium vel commoratio menstrua in *determinata dioeceseos paroecia.* Equidem ante decretum *Ne temere* nemo in dioecesi habitabat nisi mediante

---

[1]) Attento iure communi tria peragenda, ut de statu libero contrahentium legitime constet; 1) examen nupturientium a parocho instituendum; 2) examen testium, ut dicitur, seu depositio iurata duorum saltem testium de statu libero utriusque nupturientis; quae quidem depositio coram Ordinario eiusve delegato iuxta formam a lege praescriptam facienda est; neque parocho licet ad banna procedere, antequam de praedicta depositione certioratus sit. (Instr. Clementis X « Cum alias », 1670; Instr. S. Off. ad Episcopos Orientales, 1890). Huic requisito tam Indulta Apostolica quam legitima consuetudo in plerisque regionibus vigens quoad partem derogarunt, adeo ut multis in locis liceat sine Ordinarii licentia ad banna procedere, exceptis duobus casibus, scil. a) si agatur de habitualiter vagis; b) si quoad non-vagos, praemissa inquisitione, certitudo de statu libero non habeatur. (Cfr. *Vlaming*, O. c. n. 54; *S. C. Conc.* d. 1 Febr. 1908); 3) banna.

[2]) *S. C. de Sacram.* d. 7 Febr. 1911.

paroecia [1]). Verum id secum ferebat impedimentum clandestinitatis prout, spectata lege Tridentina, vigebat. Scilicet lex ista in paroeciis erat promulganda, adeo ut nonnisi dependenter a paroecia vigere inciperet. Lege autem ista sublata, etiam legis sequela quae praeterea in se parum naturalis est [2]), sublata esse censetur. Hinc etiam in decreto Piano — non autem in decreto *Tametsi* — diserte tam de *Ordinario* quam de *parocho* sermo est. Aliqui censent, per *locum matrimonii* neque paroeciam neque dioecesim intellegi, sed *civitatem* vel *pagum* [3]); verum eiusmodi dispositio tantopere ab indole legislationis antiquae recedit, ut, si legislator id intendisset, mentem suam clarius manifestasset. Itaque requiritur domicilium vel menstrua commoratio in *paroecia*, si de *parocho*, in *dioecesi*, si de *Ordinario* agitur. Dixi « domicilium vel menstrua commoratio »; nam *quasi-domicilium* sub novo iure non sufficit, uti S. C. Conc. d. 28 Mart. 1908 declaravit, atque patet ex decreto *Ne temere*, utpote quod de *quasi-domicilio* taceat, atque incommoda ex eo oritura amandata velit.

De *domicilio* fusius dicemus in appendice 3ª huius opusculi.

Quod spectat vero ad *menstruam commorationem* notanda veniunt haec:

1. Commoratio qualis in decreto intelligitur, fiat instar residentiae quam quis alicubi v. g. tanquam incola, itinerans, peregrinus, hospes etc. contraxerit. Itaque non sufficit commoratio diurno tempore in fabrica vel in officina habita.

2. Ad commorationem menstruam sufficit spatium 30 dierum, ut puta a die 1 usque ad diem 30 Ianuarii incl. Praeterea menstrua commoratio videtur posse computari iuxta computum Calendarii, v. g. a die 1 usque ad diem 28 Februarii incl., vel a die 14 Februarii usque ad diem 13 Martii incl. Adhaec dies coeptus pro completo haberi potest.

3. Non requiritur *intentio* remanendi per mensem in paroecia vel in dioecesi, sed sufficit menstrua commoratio *habita*.

Quod attinet ad interruptionem commorationis menstruae, certum est, eam absentiis plurium horarum atque generatim absentiis diurnis non interrumpi, interrumpi vero per disces-

---

[1]) *S. Off.* d. 9 Nov. 1898.
[2]) Etenim dioecesis prior est paroecia.
[3]) *Lehmkuhl*, Theol. mor. I, 889.

sum plurium dierum. Utrum interruptio ad breve tempus cum animo mox redeundi, vel saltem interruptio ad breve tempus cum animo non redeundi commorationem menstruam interrumpat necne, disputatur [1]). Praeterea, — posito, brevem commorationem alibi habitam commorationem menstruam non interrumpere — disceptatur, num brevis ista commoratio ad perficiendam commorationem menstruam computari possit [2]). Porro censeo quoad *primum*: spectata indole novae legis, ad *animum* interrumpentis commorationem non esse attendendum; quoad *alterum*: menstruam commorationem sumi posse iuxta aestimationem communem; quo posito, absentia unius alteriusve diei et noctis, qualiscumque adfuerit animus, neque commorationis continuitati obstat, neque per alios dies additos compensari debet.

§ 3. « *Quod si deficiat, ut parochus et loci Ordinarius licite matrimoniis assistant, indigent licentia parochi vel Ordinarii proprii alterutrius contrahentis, nisi gravis intercedat necessitas quae ab ea excuset* ».

I. Ut e supra dictis eruitur, parochus vel Ordinarius proprius is est in cuius paroecia vel dioecesi uterque vel alteruter contrahentium domicilio vel menstrua commoratione gaudet. Iam vero certo sufficit licentia parochi *sponsae*. Est autem ratio dubitandi, num etiam sufficiat licentia parochi *sponsi*. Spectato tenore decreti quod exigit licentiam parochi *alterutrius* contrahentis, affirmari debet; verum quum matrimonium per se coram parocho *sponsae* contrahendum sit, dubium videtur, num licentia parochi *sponsi* sufficiat. Praeterea nihil prohibet, quominus parochi alicuius civitatis commodi gratia alii aliis generalem assistendi licentiam conferant [3]).

---

[1]) Sume, aliquem post commorationem 14 dierum in paroecia S. Iacobi tractam, paroeciam S. Antonii petere cum vel sine animo redeundi. Uno die in paroecia S. Antonii transacto, in paroeciam priorem revertitur: quo in casu disputatur, num commoratio moraliter interrupta sit, seu num tempus quod discessum e paroecia S. Iacobi praecessit, addi possit tempori quod reditum subsecutum est.

[2]) Itaque posito, quod in casu de quo in nota praecedenti diximus, tempus quod discessum praecessit, addi possit tempori quod reditum subsecutum est, disceptatur, num dies in paroecia S. Antonii transactus inter dies utiles possit annumerari.

[3]) Fac advertas, licentiam de qua hic sermo est, non nisi ad liceitatem requiri; quandoquidem supponimus, parochos in sua quosque paroecia matrimoniis interesse.

II. A licentia proprii parochi vel Ordinarii petenda excusat gravis necessitas, ut puta periculum ne partes, si licentia exspectetur, mere civiliter contrahant; necessitas adeundi itineris longinqui quod adeo urget, ut tempus licentiae obtinendae non supersit; etc.

§ 4. « *Quoad « vagos » extra casum necessitatis parocho ne liceat eorum matrimoniis assistere, nisi, re ad Ordinarium vel ad sacerdotem ab eo delegatum delata, licentiam assistendi impetraverit* ».

Ordinarius de quo in praesenti paragrapho sermo est, intellegitur Ordinarius loci in quo nuptiae celebrantur.

Quinam in casu veniant nomine « vagorum », non una est auctorum sententia. Aliqui suspicantur, omnes illos ea voce comprehendi, qui incertas habent sedes, *etiamsi per mensem alicubi commorati sint.* Verum dicendum, non solum omnes qui *domicilio*, sed etiam omnes qui *menstrua commoratione* gaudeant, vagos non esse. Et sane: *a*) decretum (art. V, § 2) *absolute, nulla exceptione indigitata*, edicit, parochos licite assistere matrimonio, si constet « de menstrua commoratione alterutrius in loco matrimonii »; *b*) admissa sententia contraria, ii omnes vagi dicendi forent qui carerent domicilio et quasi-domicilio, adeo ut ad licitam celebrationem matrimonii interdum ratio habenda foret quasi-domicilii. Atqui id componi nequit cum responso a S. C. Conc. d. 28 Mart. 1908 (ad V) dato. Denique S. C. de Sacram. d. 13 Mart. 1910 illud diserte declaravit. Restat igitur, ut dicamus, vagos esse eos qui nec *domicilio* nec *menstrua commoratione* usquam gaudent.

Ulterius quaeritur, num vagis de quibus praesenti paragrapho sermo est, etiam accensendi sint *momentanee vagi*, uti dicuntur, id est, ii qui, quamvis actu et domicilio et menstrua commoratione careant, nihilo minus vagabundam non ducant vitam seu habitualiter incertas non habeant sedes. Iam vero donec aut aliter decidatur aut lex quadamtenus immutetur, pro probabiliori habeo [1]), etiam *momentanee vagos*

[1]) Censemus — id quod semel pro semper dictum sit — sententiam *probabiliorem* sequendam esse ab *eo qui post debitam inquisitionem eam pro probabiliori habet*, seu *opinatur, eam esse veram.* Etenim unusquisque tenetur *sincere eo tendere* seu *sincere conari,* ut sequatur sententiam

nomine « vagorum » comprehendi. Etenim ubi lex non distinguit, neque nos distinguamus; atqui lex momentanee vagos inter et habitualiter vagos non distinguit. Deinde ipse decreti contextus innuit, paragrapho 4 canonis V^i agi de *omnibus* de quibus paragraphis praecedentibus sermo non fuit, aliis verbis de *omnibus* qui et domicilio et menstrua commoratione carent, sive momentanee sive habitualiter eis destituti sunt. Denique, sententia hac reiecta, decretum *momentanee vagis* quoad matrimonium ineundum non satis providisset. Et sane, dum vagabundorum matrimoniis quisque parochus, obtenta licentia Ordinarii vel delegati ab Ordinario, licite assisteret, momentanee vagorum connubiis licite assisti nequiret, antequam alicubi domicilium vel menstruam commorationem adepti forent. Neque dixeris, quemlibet parochum, etiam si menstrua commoratio deficiat, licite assistere matrimoniis momentanee vagorum intra paroeciae limites commorantium; siquidem id aegre componi posse videtur cum altera canonis V^i paragrapho quae *universim* ad assistentiam licitam aut *domicilium* aut *menstruam* commorationem requirit. Postremo nostrae sententiae favet responsum a S. C. de Sacram. de 13 Mart. 1910 (ad V.) editum; siquidem declaratum est, « nomine vagorum venire *omnes* qui nullibi habent parochum vel Ordinarium proprium ratione domicilii vel menstruae commorationis ». Dixi tamen, me istam sententiam pro *probabiliori* tantum habere. Nam nostrae interpretationi et speciatim primo argumento obstat, quod sub antiquo iure, spectata licentia Ordinarii requisita, nomine *vagorum* ii soli veniebant qui *habitualiter vagi* erant.

Spectato fine legis, dicendum est, licentiam Ordinarii vel delegati ab Ordinario etiam requiri, quando *unus* tantum nupturientium vagus sit. Equidem paragraphus altera canonis V^i id unum requirit, ut constiterit de domicilio vel menstrua

---

veram potius quam sententiam *falsam*. Atqui id non praestat ille qui non sequitur sententiam quam pro *probabiliori* (id est, pro *probabilius vera* quam *falsa*) sed sententiam quam pro *minus probabili* (id est, pro *probabilius falsa* quam *vera*) habet. (*S. Alph.*, Theol. mor., I, 56, Edit. Gaudé). Hoc atque plura alia argumenta fuse exposita atque ab obiectionibus vindicata vide in opusculis nostris « De Minusprobabilismo[2] », p. 17-95, et « De Systemate morali dissertatio », p. 10-25. (C. L. Van Langenhuysen, Amsterdam). Cfr. etiam *Sweens*, Theologia moralis fundamentalis[2] n. 725-736 (In Seminario, Haaren).

commoratione *alterutrius* contrahentis; verum iure dici potest, ista paragrapho agi de *solis* contrahentibus qui *non sint vagi*, seu qui alicubi *domicilium* vel *menstruam commorationem* habeant. *Quod* si obtingat, sufficit, ut *alteruter* domicilio vel menstrua commoratione polleat in *loco matrimonii*. Quando solummodo *una* pars vaga est, praeter licentiam Ordinarii non requiritur licentia parochi partis non vagae.

§ 5. « *In quolibet autem casu pro regula habeatur, ut matrimonium coram parocho sponsae celebretur, nisi aliqua iusta causa excuset* ».

Parochus sponsae is est in cuius paroecia sponsa domicilium vel menstruam commorationem habet. Porro praesens lex firmat statuta particularia quae in plerisque dioecesibus iam vigebant; legem vero istam non obligare *sub gravi*, satis eruitur ex ipso eius tenore, quandoquidem verba « pro regula habeatur » non indicant obligationem *gravem*. Immo sunt qui nullam obligationem stricte dictam agnoscant. A regula per se sequenda excusat iusta causa, id est, quodvis motivum vere rationabile, nisi tamen ius particulare maiori rigore regulam urgeat. Quodsi adsit motivum sufficiens recedendi a regula, non est obligatio petendi licentiam a parocho sponsae.

Casus practicus.

Ioannes et Anna, domicilio quod in paroecia S. Andreae habebant relicto, in paroeciam S. Iacobi se conferunt, cum animo ibi per annum circiter commorandi et post duas hebdomades matrimonium ineundi. Duabus hebdomadibus praeterlapsis, parochum S. Iacobi rogant, ut confessario suo, id est, parocho S. Andreae facultatem matrimonio assistendi concedere velit. Quae quum abnuatur, in paroeciam S. Andreae redeunt, ibidem coram confessario suo matrimonium contracturi, eoque contracto, in paroeciam S. Iacobi reversuri. Confessarius, petita et obtenta a parocho S. Iacobi licentia quam censet ad licite matrimonio assistendum requiri, nuptiis poenitentium interest.

Quaeritur, num parochus S. Andreae licite matrimonio astiterit.

Solutio.

Parochus S. Andreae valide sed, obiective saltem, illicite matrimonio poenitentium astitit. Astitit valide; siquidem matrimonio interfuit intra limites territorii sui. Astitit illicite, quandoquidem non indigebat licentia parochi S. Iacobi, sed licentia Ordinarii aut delegati ab Ordinario. Scilicet parochus S. Iacobi licentiam petitam concedere nequibat, quum nullo titulo Ioannis et Annae parochus proprius esset: neque titulo domicilii vel menstruae commorationis, utpote quibus nupturientes nostri carerent; neque titulo quasi-domicilii quod quidem in paroecia S. Iacobi contraxerant, sed cui abrogato menstrua commoratio substituta est. Dicimus igitur, parocho S. Andreae opus fuisse licentia Ordinarii, sive hic contrahentium Ordinarius proprius erat sive contrahentes vagi erant dicendi. Quae ut magis patescant, observa haec:

Quodsi sumamus, Ioannem et Bertham saltem per mensem, quamvis non continuo in *eadem* paroecia, tamen in dioeceseos *territorio* habitavisse, illudque, uti diximus [1]), sub novo iure sufficere, ut canonica in dioecesi commoratio acquiratur, *Ordinarius dioeceseos* Ordinarius proprius nupturientium erat eaque de causa, deficiente parocho proprio, ab *ipso solo* licentia matrimonio assistendi obtineri poterat.

Quodsi ponamus, menstruam in dioeceseos *territorio* commorationem non sufficere, ut canonica in dioecesi commoratio habeatur, Ioannes et Bertha *vagi* dicendi sunt: quo in casu non minus quam in priori requiritur *Ordinarii* licentia, idque sive contrahentes *habitualiter vagis* sive *momentanee vagis* accensendi sunt. Si illos, utpote qui post domicilium relictum brevi novum domicilium non sint acquisituri, *habitualiter vagis* accenseas, liquet, licentia *Ordinarii* (vel delegati ab eo) opus esse; sin autem eos, quippe qui, domicilio relicto, brevi saltem novam menstruam commorationem sint habituri, inter *momentanee vagos* annumeres, nihilo minus, donec aliter decidatur, ob rationes supra expositas pro probabiliori habeo, licentiam *Ordinarii* (vel delegati ab Ordinario) requiri.

---

[1]) Cfr. p. 43.

ARTICULUS VI.

De facultate delegata assistendi matrimonio.

« *Parochus et loci Ordinarius licentiam concedere possunt alii sacerdoti determinato ac certo, ut matrimoniis intra limites sui territorii assistat.*

Delegatus autem, ut valide et licite assistat, servare tenetur limites mandati, et regulas pro parocho et loci Ordinario n. IV et V superius statutas ».

Integritatis et commodi gratia lubet omnia exponere quae delegationem respiciunt, attentis scil. et novo et antiquo iure, quatenus hoc ultimum vigere pergit. Videlicet S. C. Conc. d. 27 Iulii 1908 edixit: « Quoad delegationem nihil esse immutatum, excepta necessitate eam faciendi sacerdoti determinato et certo ac restrictam ad territorium delegantis ».

I. Delegatio de qua hic sermo est, est actus quo testis matrimonii autorizabilis (id est, testis qui qualitate a lege requisita gaudet, seu actui cui interest auctoritatem legalem praestare potest) alium sibi substituit. Actus ille dici solet « delegatio »; verum sicuti assistentia a substituente praestita actus iurisdictionis non est, ita etiam actus quo alium sibi substituit, vera « delegatio » seu « iurisdictionis concessio » dici nequit.

II. Facultatem assistendi matrimonio concedere possunt parochus locique Ordinarius, vocibus « parochi » et « loci Ordinarii » sumptis sensu supra exposito (p. 24).

Disputatur, num parochus locive Ordinarius qui publico decreto nominatim excommunicatus vel ab officio suspensus est, possit alium delegare ad assistendum matrimonio. Porro negandum videtur; siquidem, spectata regula iuris: Nemo potest plus iuris transferre in alium quam sibi competere dignoscatur [1]); *praesumptio* est, aliquem non posse hanc vel illam facultatem qua ipsemet destitutus est, alteri concedere, nisi illa competentia quantum ad *facultatem de qua quaeritur*, *expresse* conferatur. Atqui id quod attinet ad facultatem

[1]) *Reg. 79 in 6.*

alium delegandi ad assistendum matrimonio locum non habet.

III. Qui potestate delegandi gaudent possunt tantum alii concedere facultatem assistendi matrimonio *intra limites sui territorii*. Quum scilicet ipsemet parochus et loci Ordinarius extra territorii sui limites nullius, ne suorum subditorum quidem, matrimoniis valide assistere possint, sponte sua sequitur, ut praedictam facultatem alii facere nequeant. Ipsa facultas tam *universaliter* quam *particulariter* concedi potest: *universaliter* seu *indeterminate*, id est, ad assistendum omnibus vel saltem certae cuiusdam categoriae matrimoniis; *particulariter*, id est, ad assistendum uni vel pluribus determinatis matrimoniis.

Potestne delegatus alium subdelegare?

R. 1. Delegatus *particulariter* nequit alium subdelegare, nisi aut facultas subdelegandi specialiter addita sit, aut, ut plures censent, aliquis a S. Pontifice (non tamen ratione *personae*, id est, ratione singularis prudentiae vel industriae delegati) delegatus sit.

2. Delegatus *universaliter* potest subdelegare prout sequitur:

a) Delegatus ad *omnia negotia matrimonialia* quae a parocho peragi solent (puta examen sponsorum, procuratio dispensationum etc.), potest subdelegare. Ita Parisiis delegati sunt *primi vicarii*. Idem a fortiori valet de iis qui ab Ordinario vel, ad normam iuris in dioecesi vigentis a parocho, ad *universalem curam animarum* deputantur, sive quia parochus abest, sive quia infirmitate vel alio impedimento impeditus est. Immo aliqui hosce *parochis* accensent, ita ut potius *delegare* quam *subdelegare* dici debeant.

b) Controvertitur, utrum necne delegatus ad *universitatem casuum* [1]), item is qui a S. Pontifice *particulariter* (non tamen ratione *personae*) delegatus sit, controvertitur inquam, utrum praedicti possint particulariter [2]) subdelegare, nisi haec facultas expresse retenta sit.

Alii negant hac ratione innixi, quod licentia concessa ad

---

[1]) Intellego, aliquem delegari ad *universitatem casuum*, si ipsi conceditur mere facultas *assistendi*, attamen, uti iam dictum est, non uni tantum pluribusve matrimoniis determinatis, sed *indeterminate* pro omnibus vel saltem pro certa quadam categoria. (*Vlaming*, O. c., n. 516).

[2]) Delegatus universaliter non potest *generaliter* subdelegare, nisi id expresse concessum sit.

nudum ministerium non involvit facultatem subdelegandi [1]). Atqui simplex assistentia matrimonio, utpote quae nihil secum ferat, quod *proprie dictae iurisdictioni* vel *causae cognitioni* simile sit, actus *nudi ministerii* est.

Alii affirmant censentes, licentiam assistendi matrimonio sicuti in aliis ita etiam quod attinet ad facultatem subdelegandi delegationi *proprie dictae* aequiparari. Atqui et is qui universaliter delegatus est, et is qui particulariter (non tamen ratione *personae*) a S. Pontifice delegatus est, potest, si de delegatione *proprie dicta* sermo est, subdelegare. Ergo idem dicendum de eis qui aut universaliter a quocumque aut particulariter (non tamen ratione *personae*) a S. Pontifice delegati sunt ad assistendum matrimoniis.

Aliqui censent, parochum vel Ordinarium non posse alicui conferre facultatem subdelegandi, nisi *ipsimet* sacerdotes subdelegandos determinent [2]). Ita autem opinantur, quia secus delegatio aequivaleret delegationi factae personis *indeterminatis*; quod, ut statim dicetur, fieri nequit. At ista sententia non satis probatur; quandoquidem admitti potest, eam solam delegationem prohiberi quae *formaliter* seu *sensu stricto* fit personae *indeterminatae*. Atqui delegatio quae fit personae determinatae una cum addita facultate subdelegandi, sensu *formali* et *stricto* dici nequit delegatio facta personae *indeterminatae*.

IV. Quantum ad *personas quae delegari vel subdelegari possunt*, haec observanda.

1. Primum postulatur, ut is cui licentia conceditur, sit *sacerdos*. Equidem parochus paroeciae canonice erectae, qui sacerdos non sit, matrimoniis intra limites territorii sui contrahendis valide assistere videtur; verum eadem facultas seu licentia alii ac sacerdoti concedi nequit [3]). Porro licentia conferri potest tam sacerdoti approbato quam non approbato ad curam animarum vel confessiones audiendas; quod quidem deducitur et ex eo, quod solummodo sermo est de

---

[1]) *C. ult.*, § *2 de off. et pot. iud. deleg.*, I, 29.
[2]) *Il Monitore ecclesiastico*, 1908, p. 86.
[3]) Si tamen delegaretur sacerdos *putativus*, i. e. aliquis qui communiter sed erronee pro sacerdote haberetur, assistentia ab isto praestita valida foret, quum, ubi concurrunt titulus coloratus et error communis, Ecclesia defectum suppleat, ut alibi iam notavimus.

sacerdote, quin addatur, eum debere esse *approbatum*, et ex eo, quod assistentia matrimonio praestita actum iurisdictionis non involvit. Attamen delegari nequit (uti sequitur ex dicendis p. 56) sacerdos qui est publico decreto nominatim excommunicatus vel ab officio suspensus.

2. Deinde requiritur, ut licentia conferatur sacerdoti *determinato ac certo*. Hinc invalida foret licentia concessa sacerdoti prorsus indeterminato, ut puta, si parochus nihil aliud statueret nisi illud: « Facultatem assistendi matrimonio facio uni e vicariis meis », nullo vicario in individuo determinato. Neque valeret licentia collata sacerdoti qui non esset determinatus a conferente licentiam, sed determinandus a partibus contracturis. Pariter invalide ageret parochus qui delegaret unum e membris alicuius communitatis, *a superiore designandum*; vel qui sponsis daret licentiam contrahendi coram uno *ab ipsis eligendo e pluribus personis determinatis*, puta contrahendi coram Petro vel Paulo, prout unum vel alterum elegerint: nisi tamen parochus intenderet in priori casu *omnia* membra communitatis, in altero tam *Petrum* quam *Paulum* delegare. Praeterea quoad hanc materiam notentur haec:

a) Non requiritur, ut delegandus *notus* sit deleganti, modo sit in se determinatus.

b) Determinatio fieri potest aut per designationem officii (puta: facio facultatem assistendi huic vel illi matrimonio Rectori Ecclesiae succursalis in N.), aut per designationem nominis; sufficit etiam, ut delegans unum pluresve sacerdotes alloquendo, sive litteras eis dando designet.

c) Nihil impedit, quominus *plures* sacerdotes designentur; legislator solummodo intendit excludere delegationem personae *indeterminatae*. Hinc parochus delegare potest omnes suos vicarios. Si autem quaeratur, quousque haec possint extendi, responsum haud ita facile videtur. Equidem pro certo habeo, voces « determinato ac certo » sensu non ita restricto accipi debere, videlicet ne valor matrimonii facile periculo exponatur. Utrum vero necne sensu adeo lato intellegi possint, ut valida foret facultas a parocho concessa, puta omnibus alicuius decanatus, dioeceseos vel provinciae ecclesiasticae sacerdotibus, id sapientioribus diiudicandum relinquo.

V. *Actus delegandi* debet esse :

1. *vere positus*. Itaque non sufficit delegatio *praesumpta* vel *interpretativa*, neque *mera tolerantia*, quippe quum tolerantia qua talis actum *concedendi* non involvat.

2. *voluntarius*, i. e. libere seu deliberate positus. Advertas tamen, metum non obstare libertati, neque sub novo iure delegationem gravi metu extortam invalidam esse. Equidem *assistentia* a parocho vel delegato ex gravi metu praestita valore destituitur : verum ex eo non sequitur, *ipsam delegationem* ex gravi metu concessam invalidam esse. *Error* tunc tantum delegationis valori officit, quum *substantialis* est, id est, quum versatur circa personam delegandi vel nupturientium ; quod utique locum non habet, quum error non *ipsam personam* sed solum *nomen* personae respicit. Praeterea notari solet, errorem circa qualitatem personae delegandae vel nupturientis, item circa causam concessionis valori obstare casu, quo qualitas vel causa intenta fuerit tanquam *conditio sine qua non* delegationis ; verum in ista hypothesi *defectus conditionis* potius quam *error* valori officit.

Disputatur, utrum actus delegandi debeat esse *notus* — saltem *aliquo modo* — *delegando*. Multi auctores illud affirmant innixi praesertim decisionibus S. C. Conc. quae d. 5 Dec. 1626 respondit : « *posita ignorantia licentiae*, matrimonium non esse validum » ; et d. 15 April. 1628 declaravit, matrimonium contractum coram sacerdote « qui neque certam neque praesumptam scientiam a proprio parocho habuit, non esse validum » (ap. *Pallotini*, Collectio Conclusionum, v. Matrimonium, n. 56). Attamen S. Rota rem in dubium vocat [1]). Praeterea a multis excipitur casus quo delegatio ab ipso delegando vel, eo conscio, ab alio petita fuit ; quam exceptionem alii reiciunt, quum censeant, eam cum *absolutis* decisionibus S. C. Conc. non posse componi.

Posito, delegationem debere esse notam, ulterius controvertitur, utrum ab *ipso delegante* vel *a tertio eius nomine* delegando intimari debeat, an sufficiat, ut *alius* eam manifestet.

Denique sicuti disputatur, utrum delegatio debeat esse nota delegando, ita etiam disceptatur, utrum ab ipso *acceptari*

[1]) *Acta Apost. Sed.*, 1911, p. 292.

debeat. Sententia affirmans admittitur in relat. ad caus. Neapol. d. 3 Iul. 1734 [1]). S. Rota de necessitate *acceptationis* aeque ac de necessitate *scientiae* delegationis dubitat [2]). Scientia autem et acceptatio delegationis certo non requiruntur, si superior per modum statuti vel praecepti delegationem subdito suo concedat.

Aliqui in quaestionibus praecedentibus discutiendis argumentantur ex eo, quod delegatio instar *donationis* habenda est. Porro donatio, ut effectum sortiatur, debet non solum *acceptari*, verum etiam, ut valide acceptetur, *donatario manifestari* [3]); idque fieri debet, etiamsi donatio, *petente donatario*, facta sit [4]), atque quidem ab *ipso donatore* vel ab alio qui *eius nomine* donationem intimet [5]). Verum non ita clarum ac certum est, *quatenus* similitudo inter delegationem et donationem extendi debeat, ita ut argumentum ex ea deductum *peremptorium* dici nequeat.

Ceterum delegatio concedi potest tam oretenus quam scripto aliisve signis aequivalentibus, immo etiam silentio, modo silentium, visis adiunctis, induat rationem signi quod licentiae concessionem exprimit. Equidem controvertitur, utrum necne licentia *tacita* sufficiat; verum quum a lege nihil aliud exigatur, nisi ut licentia vere *concedatur*, eam autem *tacite concedi* non repugnet, licentia *tacita*, modo rite intellegatur, sufficere videtur [6]). Etiam *licitum* est licentiam tacite concedere eaque uti, modo sufficienter de ea constet; sed quum passim non sufficienter sit constituturum de ea, generatim

---

[1]) *Wernz*, O. c.[2], p. 270.

[2]) *Acta Apost. Sed.*, l. c.

[3]) Etenim donatio nequit valide acceptari, nisi prius *oblata* seu *acceptanda praesentata fuerit*. Iam vero offertur eo quod donatario *manifestatur*. (Pag. 39).

[4]) Donatio *nunquam* valide acceptari potest, antequam donatario *oblata fuerit*. Offertur autem, ut diximus, per *manifestationem*. Ergo haec *semper* requiritur.

[5]) Scilicet *solus auctor* atque *dominus* donationis hanc alteri offerre seu acceptandam praesentare potest. Hinc *ipsemet donator* per se vel per alium donationem donatario manifestet seu intimet necesse est.

[6]) Neque aliquam difficultatem facessere videtur responsio S. C. Conc. d. 22 Iun. 1581, quippe quae solum decreverit, non sufficere licentiam tacitam quae «ex mera tolerantia resultat». Quod quidem optimo iure decretum est, siquidem *mera tolerantia* non sufficit, ut licentia vere *concedatur*, seu ex mera tolerantia licentia vere *concessa* resultare nequit; quod tamen non impedit, quominus *tolerantia*, visis adiunctis, *signum* concessionis esse queat.

ipsa eiusque usus *illicita*, matrimonia autem ita contracta facile *dubie valida* erunt [1]). Hinc practice licentia non tacite, sed expresse, immo *in scriptis* concedatur, quo quidem modo eam conferri, supponere videtur Rituale Romanum (T. X, c. 5).

VI. Attentis praesertim praxi communi et doctrina in dies invalescente, causa vere rationabilis sufficit tam Ordinario quam parocho, ut facultas assistendi matrimonio licite concedatur. Immo S. C. de Sacram. (d. 12 Mart. 1910, ad VI) satis significavit, usum aliquorum parochorum *habitualiter* committendi vicariis assistentiam matrimoniis non esse iure communi contrarium. Advertas tamen, coadiutores parochorum nullatenus eo ipso quod coadiutores constituuntur, ad assistendum nuptiis delegari [2]).

VII. « Delegatus, ut valide et licite assistat, servare tenetur limites mandati, et regulas pro parocho et loci Ordinario n. IV et V superius statutas » (Decretum *Ne temere*, n. VI).

Porro primum de quo dicitur requisitum patet, nimirum limites mandati delegato esse servandos; ceterum sequatur necesse est regulas pro delegante statutas, quas supra (p. 32-49) expositas ad ipsum delegatum paucis applicare lubet.

1. Itaque ut *valide* assistat, requiruntur haec:

a) Delegatus non sit nominatim et publico decreto excommunicatus vel ab officio suspensus (p. 43).

b) Assistat matrimonio intra limites territorii delegantis (p. 34).

c) Invitatus ac rogatus et neque vi neque metu gravi constrictus requirat excipiatque consensum (p. 35).

Disputatur, num delegatus rogari debeat, si delegans iam rogatus sit. Affirmandum videtur: *primum*, quia decretum *absolute* edicit, a delegato servandas esse regulas pro parocho statutas; *deinde*, ut delegato eodem modo quo deleganti consultum sit.

---

[1]) Ad quaestionem, num valida sint matrimonia, quibus coadiutores, ex iure particulari debita facultate non instructi, astiterint, parochis non contradicentibus; ad hanc quaestionem S. C. de Sacram. d. 12 Mart. 1910 respondit: « Acquiescant, facto verbo cum SS^mo ». « Quod responsum innuit, dubitationem persistere circa valorem huiusmodi assistentiae, quamvis matrimonia de quibus petitur, haberi possint qua valida, supplente scil., in quantum opus, S. Pontifice et sanante connubia forte nulliter contracta ». (*De Smet* apud Coll. Brug., 1910, p. 316).

[2]) Cfr. *S. C. de Sacram.* d. 12 Mart. 1910, ad VI.

2. Ut delegatus *licite* assistat, haec exiguntur:

a) Constiterit ipsi de statu libero contrahentium, servatis de iure servandis (p. 42). Nihil autem refert, utrum delegans an ipsemet delegatus de statu libero inquisierit.

b) Constiterit ipsi de domicilio vel saltem de menstrua commoratione alterutrius contrahentis in territorio delegantis (p. 43). Etiam in casu perinde est, utrum delegans an delegatus quaestionem de praedictis instituerit. — Si neuter contrahentium neque domicilium in territorio delegantis habeat, neque menstruam commorationem ibidem traxerit, requiritur licentia — a delegante vel a delegato impetrata — parochi vel Ordinarii proprii alterutrius contrahentium, id est, parochi in cuius paroecia, vel Ordinarii in cuius dioecesi alteruter nupturientium domicilium contraxerit, vel per mensem habitaverit; nisi gravis intercedat necessitas quae a licentia petenda excuset. — Si uterque vel alteruter sponsorum neque in aliqua paroecia, neque in aliqua dioecesi domicilio vel menstrua commoratione gaudeat, a. v. si uterque vel alteruter *vagus* sit, opus est licentia Ordinarii cui subicitur parochus delegans, vel licentia delegati ab Ordinario.

c) Nisi sufficiens causa excuset, delegatus facultatem assistendi acceperit a parocho sponsae.

VIII. Delegatio *cessat* per revocationem a delegante (eiusve successore) factam atque ab eo (eiusve successore) ante nuptias celebratas delegato intimatam. Immo S. C. Conc. in c. Tricaric. d. 27 Iun. 1733, stetit pro valore matrimonii, quamvis proprius parochus licentiam revocasset, eaque revocatio ante contractum matrimonium delegato et sponso, non autem sponsae, intimata esset. Itaque si revocatio intimetur post matrimonium contractum, assistentia praestita valida fuit. Similiter delegatio non cessat per mortem delegantis eiusve ab officio cessationem, antequam mors vel cessatio ab officio cognita fuerit a delegato. Si cognitae fuerint, certo non cessat delegatio, si res iam non est integra (id est, iam executioni mandari coepta est); immo delegatio ne tunc quidem, quum res integra est, exspirare videtur, sive particulariter sive universaliter facta est; quandoquidem delegatio instar *gratiae factae* haberi potest.

Casus practicus.

Parochus dictus Iacobus N. qui, quum sit strenuus « actionis socialis » fautor, haud raro a paroecia sua abest, securitatis causa parocho atque vicariis paroeciae adiacentis significat, se eis facultatem facere parochianorum suorum matrimoniis assistendi. Parocho de more absente, Ioannes N. et Anna N., Iacobi parochiani, praestitis de iure praestandis, matrimonium contrahere volunt, orantque confessarium Petrum, unum dico e delegatis vicariis, ut suo matrimonio assistere velit; quod Petrus libenter annuit. Verum, nuptiarum die instante, vicarius noster levi catarrho corripitur; de qua causa rogat sponsos, ut ad se veniant, atque, se assistente, in ecclesia cui ipse ascriptus est, matrimonium ineant: quod factum est.

Quaeritur, 1°, num Petrus valide delegatus sit.

2°, num Petrus valide et licite matrimonio astiterit.

Solutio.

Censeo, Petrum fuisse valide delegatum. Posito nimirum, (id quod supra notavimus) et facultatem assistendi pluribus sacerdotibus determinatis ac certis posse concedi, et voces « determinato ac certo » sensu non ita restricto esse sumendas, iure ac merito dicitur, verba et sensum decreti sufficienter quadrare in delegationem concessam parocho atque vicariis paroeciae adiacentis.

At Petrus invalide et consequenter etiam illicite matrimonio astitit, idque propterea, quod ei extra limites territorii *delegantis* interfuit.

Quod si ex licentia *proprii sui* parochi matrimonio praesens fuisset, assistentia et valida et licita fuisset: valida utpote praestita intra territorium *delegantis;* licita, quum haberetur licentia saltem rationabiliter praesumpta *proprii contrahentium parochi.*

ARTICULUS VII.

De casu quo licet coram quolibet sacerdote contrahere.

« *Imminente mortis periculo, ubi parochus vel loci Ordinarius vel sacerdos ab alterutro delegatus haberi nequeat, ad consulendum conscientiae et (si casus ferat) legitimationi prolis, matrimonium contrahi valide ac licite potest coram quolibet sacerdote et duobus testibus* ».

Itaque, ut matrimonium coram quolibet sacerdote et duobus testibus contrahi possit, tria requiruntur, nimirum: 1° ut immineat mortis periculum; 2° ut parochus vel loci Ordinarius vel sacerdos ab alterutro delegatus haberi nequeat; 3° ut adiuncta eiusmodi sint, ut aut conscientiae aut legitimationi prolis aut utrique consuli queat. Singula paucis perstringam.

I. Primum immineat mortis periculum oportet. Hinc non requiritur, ut immineat mortis *articulus*, sed sufficit mortis *periculum grave*. Praeterea satis est, ut *alterutri* nupturienti periculum creetur: immo opus non est, ut periculum iam *adsit*, sed sufficit, ut *immineat*. Neque refert, utrum oriatur a morbo, an immineat ex alia causa, puta e naufragio, ex operatione subeunda.

II. Dein requiritur, ut neque aliquis cui facultas assistendi competat, tempestive et sine gravi incommodo haberi, neque licentia assistendi tempestive et sine gravi incommodo obtineri possit. Dixi « tempestive », id est, antequam aegrotus moriatur vel in eiusmodi statu versetur, ut satis rite sacramentum recipere nequeat. Sufficit autem *periculum*, ne infirmus moriturus vel matrimonium minus recte suscepturus sit. Dixi « sine gravi incommodo », quae conditio adest, si v. g. licentia obtineri nequit, quin difficilis via capessatur. Hinc etiam poenitens non tenetur concedere neque confessarius a poenitente petere licentiam impetrandi delegationem, si conditio poenitentis ignoretur et ex delegatione impetrata suspicio contra poenitentem deleganti incidere possit. In casu

facultas assistendi commode obtineri nequit [1]). Denique notetur, facultati assistendi non obstare, quod constitutus in periculo culpabiliter neglexit occasionem habendi parochum vel delegatum ab eo [2]).

Quid, si occasio adeundi delegantem desit, verum per litteras ad ipsum recurri possit?

R. Censemus, obligationem exsistere eiusmodi medii adhibendi, utpote quod omnino ordinarium neque a S. Sede in petendis facultatibus reprobatum sit.

Quid, si licentia non nisi per telegraphum tempestive obtineri queat?

R. Existimamus, non esse praedicto medio utendum, quippe quod extraordinarium vel saltem a S. Sede in impetrandis licentiis improbatum sit, eaque de causa praescriptum esse nequeat. Videlicet in Litteris encyclicis Secretarii Status ex speciali mandato Leonis XIII editis haec habentur: « Attentis incommodis quae iam acciderunt et denuo facile evenire possunt in excipiendis gratiarum petitionibus transmissis per telegraphum, S. S. praescripsit, ne deinceps, ex regula ordinaria, ulla S. Congregatio . . . eiusmodi preces medio memorato exhibitas admittat. Quum eaedem rationes quoad Curias episcopales etiam valeant, S. S. vult, ut Pastores dioecesani quoque se ad hanc praescriptionem conforment ». Porro quod dictum est de telegrapho, id etiam telephonio applicari posse videtur.

III. Postremo requiritur, ut adiuncta eiusmodi sint, ut aut conscientiae alterutrius nupturientis aut legitimationi prolis aut utrique consuli possit.

Prior igitur ratio ob quam matrimonium coram quolibet sacerdote et duobus testibus contrahi potest, est rerum conscientiae compositio procuranda. Porro haec ratio ut plurimum obtinget, si nupturientes matrimonio mere civili coniuncti sint vel saltem in concubinatu vivant. Pariter adest, si, esto neque in concubinatu vivant neque mere civiliter

---

[1]) V. g. confessarius in confessione poenitentis graviter aegrotantis reperit, eum relationes perversas fovere cum persona a qua non potest vel non vult separari, ita ut expediat, eos matrimonio iungi. Cfr. *Coll. Brug.*, 1911, p. 195.

[2]) *Wernz*, O. c.[2], p. 298.

coniuncti sint, tamen eiusmodi inter eos malae relationes habeantur, ut separatio impossibilis vel difficilis evaserit. Neque tamen ex eo deducendum, in casu sola peccata carnis esse attendenda; etenim ratio consulendi conscientiae etiam aliunde oriri potest, puta si speretur, fore ut moribundus, contracto matrimonio, odium in compartem vel compartis consanguineos deponat, etc. Immo iure dicitur, casum adesse, quotiescumque per se contracta sit obligatio nubendi, puta seducendo alteram partem sub promissione matrimonii.

Potestne matrimonium coram quolibet sacerdote et testibus contrahi ob fines qui non respiciunt aeternam moribundi salutem in tuto collocandam, neque obligationem quae per se contracta est, exstinguendam, puta ut odium inter familias extinguatur?

R. Plures id fieri posse docent. Atvero haec mihi valde dubia videntur. Etenim sensu obvio per verba: « ad consulendum conscientiae » nihil aliud intellegi videtur nisi hoc: *ut res conscientiae componantur*, seu, quod idem est: *ut aeterna utriusque vel alterutrius nupturientis salus in tuto collocetur*. Qui benigniorem sententiam admittunt provocant ad responsum d. 16 Aug. 1909 a S. C. de Sacram. editum; verum responsum illud id unum declarat, facultatem dispensandi ab impedimentis matrimonialibus, imminente periculo, in casu art. VII decreti *Ne temere* subsistere, « etiamsi non agatur de *concubinariis*, sed *alia* adsit causa ad *consulendum conscientiae* et (si casus ferat) *legitimationi prolis* »; quod nos etiam admittimus.

Altera ratio seu causa ob quam privilegio uti licet, est *legitimatio prolis procreatae* vel *exspectatae;* quam causam sufficere iure meritoque dicitur, etiamsi matrimonium ad conscientiae consulendum non sit necessarium, puta, si relationes perversae iam prorsus abruptae sint.

Porro altera haec ratio adest, ubi agitur aut de prole *naturali* [1]), utpote quae per ipsum matrimonium legitimetur,

---

[1]) Proles *naturalis* est ea quae *extra matrimonium* procreata est a parentibus, inter quos tempore conceptionis (aut nativitatis aut intermedio inter utramque) matrimonium validum exsistere potuisset. E contra proles *spuria* est proles quae nata est e personis, inter quas neque matrimonium validum exstitit, neque tempore conceptionis (neque tempore nativitatis neque tempore intermedio) exsistere potuit.

aut de prole *incestuosa*, quam post matrimonium legitimandi facultas iam S. Pontifici non est absolute reservata.

Subestne ratio consulendi legitimationi prolis, si proles legitimanda est adulterina vel sacrilega?

R. In antecessum notandum, prolem adulterinam et sacrilegam non legitimari nisi per rescriptum S. Pontificis quod non facile obtinetur. Quo observato, respondeo, negandum videri. Et sane decretum statuit, matrimonium modo praedicto contrahi posse ad *consulendum* legitimationi prolis. Atqui, ubi de prole *adulterina* vel *sacrilega* agitur, per matrimonium subsequens non *consulitur* legitimationi prolis, voce ista sensu nativo et obvio sumpta. Deinde sententia adversariorum matrimonium in casu nostro eatenus legitimationi prolis consuleret, quatenus S. Pontificem ad prolem adulterinam vel sacrilegam legitimandam posset impellere. Agedum aegre admittitur, a legislatore commendari influxum in beneficium praestandum quod ipsemet vix unquam concedit; qualis est legitimatio prolis *sacrilegae* aut *adulterinae*.

En igitur conditiones quae requiruntur, ut matrimonium coram *quolibet* sacerdote et duobus saltem testibus iniri possit.

Dixi « coram *quolibet* sacerdote » ; hinc ne is quidem excluditur, qui nominatim excommunicatus vel ab officio suspensus est. Advertas tamen, etiam in casu de quo dicimus, *praesentiam duorum saltem testium* exigi. Controvertitur, utrum necne requiratur invitatio assistendi ab alterutra saltem parte facta, assistentia sacerdotis neque vi neque metu gravi extorta. denique exquisitio consensus contrahentium. Aliqui censent, ea requiri; etenim non satis patet, in casu legitimam esse normam quae a norma *ordinaria* atque *per se vigente* diversa est. Alii benignius opinantur, quum in casu id maxime intendatur, ut moribundi conscientiae consultum sit. Horum sententia v. g. etiam assistentia *metu extorta* valida foret. Attamen tutius est, praedicta non praetermitti.

Superest, ut notemus haec:

Pius X d. 9 Maii 1909 decrevit, « quemlibet sacerdotem qui ad normam art. VII decreti *Ne temere*, imminente mortis periculo, ubi parochus vel loci Ordinarius vel sacerdos ab alterutro delegatus haberi nequeat, coram duobus testibus assistere valide ac licite potest, in iisdem rerum adiunctis

dispensare quoque posse super impedimentis omnibus etiam publicis matrimonium iure ecclesiastico dirimentibus, excepto sacro presbyteratus ordine et affinitate lineae rectae ex copula licita ». Et S. Congr. de disciplina Sacramentorum d. 13 Aug. 1909 ad dubium: « Utrum facultas dispensandi ab impedimentis matrimonialibus imminente mortis periculo in casu art. VII decreti *Ne temere*, facta per decretum huius S. Congregationis diei 14 Maii 1909, valeat dumtaxat pro concubinariis: an etiamsi non agatur de concubinariis, sed alia adsit causa ad consulendum conscientiae et (si casus ferat) legitimationi prolis? »; S. Congr., inquam, ad istud dubium respondit: « Negative ad primam partem, affirmative ad secundam ». Itaque:

1. Sacerdos qui ad normam art. VII matrimonio assistit, potest dispensare ab impedimentis *dirimentibus tam publicis quam occultis*, excepto sacro presbyteratus ordine et affinitate lineae rectae ex copula licita.

Disputatur, utrum necne praedictus sacerdos etiam dispensare possit in impedimento *clandestinitatis*. Iam vero pro tuta habeo sententiam quae affirmat. Etenim indultum diserte dicit de *omnibus* impedimentis dirimentibus. Accedit quod indultum Pianum datum est ad normam indulti Leonini [1]) eisdemque

---

[1]) Lubet quaedam notare tam quoad ambitum indulti Leonini quam quoad illud inter et indultum Pianum distinctionem.

I. *Ambitus indulti Leonini*. Leo XIII per decretum S. Off. d. 20 Febr. 1888 locorum Ordinariis facultatem concessit dispensandi « sive per se sive per ecclesiasticam personam sibi benevisam aegrotos in gravissimo mortis periculo constitutos, quando non suppetit tempus recurrendi ad S. Sedem, super impedimentis quantumvis publicis matrimonium iure ecclesiastico dirimentibus, excepto sacro presbyteratus ordine, et affinitate lineae rectae ex copula licita proveniente ».

Praeterea S. Pontifex d. 9 Ian. 1899 per S. Off. declaravit, Ordinarios qui vi decreti d. 20 Febr. 1888 facultatem concessam solum *in casibus particularibus* cuilibet personae ecclesiasticae subdelegare possunt, Ordinarios, inquam, posse facultatem suam « subdelegare habitualiter parochis tantum, sed pro casibus dumtaxat in quibus deest tempus ad ipsos (Ordinarios) recurrendi ».

Ad haec S. Off. d. 23 April. 1890 edixit, praedictam facultatem etiam respicere impedimenta dirimentia *occulta*, nomine autem parochorum « comprehendi omnes qui actu curam animarum exercent, exclusis viceparochis et cappellanis ».

Praeterea S. Off. d. 1 Iul. 1891 declaravit, dispensandi facultatem adesse, sive impedimentum afficit *aegrotum* sive *benevalentem* sive *utramque partem*. Dein eadem S. Congregatio d. 13 Dec. 1899 edixit, vi praedictae facultatis etiam dispensari posse in impedimento *clandestinitatis*.

utitur terminis. Atqui indultum Leoninum involvebat facultatem dispensandi in impedimento clandestinitatis. Quin etiam indultum Pii X ulterius progreditur quam indultum Leonis XIII; siquidem concedit facultatem dispensandi, etiamsi non agatur de concubinariis vel civili matrimonio iunctis; sufficit, ut conscientiae vel legitimationi prolis consuli possit. Ex quo concludere licet, mentem coarctandi ambitum facultatis deesse. Denique facultas conceditur, ut aeternae moribundi saluti provideri queat. Huic autem non satis consultum foret, si, ubi testes haberi nequeant, facultas in eorum praesentia dispensandi deesset.

Neque obieceris, adiuncta in quibus indultum, spectato eius tenore, adhiberi possit, involvere *assistentiam testium*. Etenim indultum dicit, sacerdoti facultatem dispensandi competere in eisdem adiunctis in quibus cum duobus testibus potest valide assistere matrimonio. Atqui id nequaquam involvit, *assistentiam testium* pertinere ad adiuncta in quibus indultum adhiberi potest. Adiuncta illa alia non sunt praeter ea quae a nobis supra exposita sunt. Quae si adsint, sacerdos potest, uti dicit indultum, coram duobus testibus valide assistere matrimonio, atque — ita addiderim — si facultas arcessendi testes desit, in testium praesentia dispensare. Ceterum, dato, non concesso, tenorem indulti a nobis explicari non posse, dixerim, contrariam sententiam contra intentionem legislatoris satis claram nimis litterae inhaerere.

Quodsi *plura* occurrant impedimenta dirimentia sacerdos assistens vi indulti in eis dispensare potest: *a*) quando cum impedimento natura sua publico aliud impedimentum dirimens

---

Denique indulto annexa erat facultas legitimandi prolem incestuosam (S. Off. d. 18 Iul. 1903).

II. *Distinctio indultum Leoninum inter et indultum Pianum*. Capita haec sunt: Indultum Leoninum: *a*) mediante Ordinario, indultum vero Pianum immediate confertur;

b) respicit solos *graviter aegrotantes*, id est, eos qui ex morbo in gravi periculo versantur, dum indultum Pianum respicit omnes in gravi periculo versantes, sive periculum ex morbo sive ex alia causa provenit;

c) spectat ad eos qui aut in concubinatu vivunt aut matrimonio civili iuncti sunt, dum indultum Pianum adhiberi potest, quotiescumque per matrimonium conscientiae vel legitimationi prolis consuli potest;

d) potest solum in praxim deduci erga subditos Ordinarii qui facultatem dispensandi concessit, dum indultum Pianum respectu omnium valet.

occultum adsit [1]); *b*) quando plura *occulta* simul occurrant [2]); *c*) quando gradus consanguinitatis vel affinitatis qui inter sponsos exsistat, e multiplici stipite oriatur [3]); *d*) quando sponsi innodantur duobus impedimentis consanguinitatis, uno in 3° gradu simplici, et altero in 4° gradu simplici [4]). Spectatis principiis generalibus quae facultatem cumulandi respiciunt, disputari potest, utrum necne vi indulti amplior cumulandi facultas ministro assistenti competat, sicut et controversia est, an indultum Leoninum ampliorem involvat. Opinio benigna praeplacet; etenim Ecclesia, ut videtur, quantum convenienter fieri potest, consulere voluit aeternae moribundi saluti in tuto collocandae.

Praeterea observa:

a) Equidem regulariter requiritur, ut is qui dispenset facultate apostolica, dispensationem concedat in scriptis, nimirum confecto dispensationis instrumento in quo exhibeantur ea omnia, quae ex stylo et praxi S. Sedis in eiusmodi rescriptis exhiberi soleant; verum id non spectat ad valorem, sed ad solam liceitatem [5]). Praeterea adiuncta haud ita raro eiusmodi erunt, ut ea in casu nostro urgeri nequeant.

b) Ubi sacerdos dispensat ab impedimento disparitatis cultus, non omittat debitas exigere cautiones [6]).

c) Indultum *Leoninum* haec annexa habet: « Mens est, ut si quando, quod absit, necessitas ferat, ut dispensandum sit cum iis qui sacro subdiaconatus aut diaconatus ordine sint insigniti, vel solemnem professionem religiosam emiserint, atque post dispensationem et matrimonium rite celebratum convaluerint, in extraordinariis huiusmodi casibus Ordinarii de impertita dispensatione Supremam S. Officii Congregationem certiorem faciant, et interim omni opera curent, ut scandalum, si quod adsit, eo meliori modo quo fieri possit removeatur, tum inducendo eosdem, ut in loca se conferant, ubi eorum conditio ecclesiastica aut religiosa ignoratur, tum, si id obtineri nequeat, iniungendo saltem iisdem spiritualia

[1]) *S. Off.* d. 31 Mart. 1872 et 18 Aug. 1897.
[2]) *Gennari*, Consultaz.[2] I, cons. 107, n. 7.
[3]) *S. Off.* d. 15 Iun. 1875.
[4]) *S. Off.* d. 16 Mart. 1898.
[5]) *Van den Acker*, O. c., p. 72.
[6]) *Van den Acker*, *l. c.*

exercitia aliasque salutares poenitentias, atque eam vitae rationem quae praeteritis excessibus redimendis apta videatur, quaeque fidelibus exemplo sit ad recte et christiane vivendum».

Quum de eis in indulto *Piano* sermo non sit, praedicta eatenus tantum *obligant*, quatenus a iure naturae praescribuntur.

2. Sacerdos vi indulti dispensare nequit in impedimentis *impedientibus*. Attamen observentur haec:

a) Impedimenta *ecclesiastica* (puta proclamatio bannorum), si impedimentum mixtae religionis excipias, ex ipsius legislatoris intentione in casu nostro passim negligi possunt. Quin immo non negaverim, ipsum impedimentum mixtae religionis *non obligare*, aut *ex epikeia* non esse urgendum [1]).

b) *Sponsalia* valida cum alia persona contracta equidem a ministro assistente solvi nequeunt; verum altera pars plerumque praesumi poterit cedere ius suum [2]).

c) Impedimentum *voti* impedientis matrimonium a simplici sacerdote relaxari nequit. Neque in casu difficultas servandi voti ab obligatione eximit (*S. Alph.* Theol. mor. VI. 1080, ed. Gaudé); neque dici potest, hoc impedimentum *ex epikeia* cessare, quum non sit impedimentum *iuris ecclesiastici*.

3. Quamvis in indulto Piano de facultate legitimandi prolem *incestuosam* sermo non sit, nihilo minus illud ita intellegi licet. Etenim hoc indultum, uti iam notavimus, datum est ad normam concessionum respectu huius materiae antea factarum. Iam vero ad concessiones antea factas etiam pertinebat facultas legitimandi prolem *incestuosam* (p. 64).

Denique animadverto, indultum Pianum etiam competere eis qui independenter ab art. VII valide matrimonio assistant, puta parocho qui intersit nuptiis parochiani moribundi. Etenim legislator iure meritoque censetur quae *simplici sacerdoti* concesserit, ea etiam *parocho* concedere voluisse. Quin immo non immerito dicitur, parochum etiam respectu proprii parochiani voce «coram *quolibet* sacerdote» comprehendi, adeo ut parochus, si casus ab art. VII positus adsit, duplici titulo valide parochiani sui matrimonio interesse possit, nimirum et quatenus parochus est moribundi et vi art. VII. Quae

[1]) *De Smet*, O. c.[2], p. 490.
[2]) *Van den Acker*, O. c., p. 71.

interpretatio si reicienda sit, iterum dixerim, eos qui contrarium propugnent, contra mentem legislatoris satis claram magis quam par est litterae legis insistere. Interim accessit d. 29 Iul. 1910 declaratio S. C. de Sacram. Porro per indultum Pianum indultum Leoninum quasi inutile evasit.

Casus practicus.

Ioannes N. qui cum Bertha matrimonium mere civile contraxit, at prolem ex ea non procreavit, in xenodochio paroeciae S. Iacobi graviter iacet. Morbo invalescente, ad bonam frugem convertitur atque obtestatur Petrum, sacerdotem extraneum qui alium aegrotum in propinquo decumbentem visitat, ut se cum Bertha, lecto astanti, coniungere velit. Qua petitione emissa, Petrus, utpote qui scrupulis angatur, anceps haeret seseque inter incudem et malleum positum sentit. Videlicet ex una parte nondum instat mortis articulus, adeo ut tempus suppetat tam sacerdotis competentis arcessendi quam facultatis requisitae obtinendae; ex altera autem parte timet, ne aegrotus sensim sine sensu usu rationis destituatur; siquidem subinde stolida profert. In angustias adductus nodum solvit, atque illico, aegroto absoluto, duas moniales in testes accersit et matrimonium celebrat.

Solutio.

Petrus valide et licite matrimonio astitit; siquidem omnes conditiones requisitae adfuerunt. Adfuit conditio prior, nimirum grave periculum mortis. Quod spectat ad alteram conditionem, haec obtigit, si, nisi matrimonium quantocius fuisset celebratum, adauctum esset periculum, ne aegrotus non plene sui compos matrimonii sacramentum esset suscepturus. Atqui id, visis adiunctis, re ipsa obtinuisse videtur, excepto fortassis casu, quo xenodochio praeesset rector qui valide et tempestive assistere aliumve delegare potuisset. Adfuit denique tertia conditio; quandoquidem negari nequit, per matrimonium conscientiae Ioannis, quippe qui Berthae amans esset, consuli potuisse.

ARTICULUS VIII.

De casu quo licet sine ministro sacro contrahere.

« *Si contingat, ut in aliqua regione parochus locive Ordinarius aut sacerdos ab eis delegatus, coram quo matrimonium celebrari queat, haberi non possit eaque rerum conditio a mense iam perseveret, matrimonium valide ac licite iniri potest, emisso a sponsis formali consensu coram duobus testibus* ».

Attento canone citato, tres potissimum conditiones adsint necesse est, ut matrimonium sine ministri sacri assistentia contrahi possit.

I. Primum requiritur deficientia tam parochi quam Ordinarii et delegati. Si parochus loci in quo matrimonium contrahitur, arcessi possit, id utique fieri debet. Pariter, si *adiri* possit parochus alterius territorii, coram illo matrimoninm contrahendum est [1]). Dixi « adiri » ; quandoquidem non requiritur, ut parochus *alterius* territorii arcessatur in territorium *alienum* ; in hoc enim territorio competens non est.

Itaque deficientia requisita, uti ex dictis sequitur, consistit non tam in *absentia* sacerdotis idonei quam in *impossibilitate nuptias coram eiusmodi ministro ineundi*. Nihil autem refert, utrum ista impossibilitas physica sit an moralis tantum, voce tamen « moralis » ob gravitatem legis clandestinitatis sensu satis rigido sumpta. Casus locum haberet, si parochus et delegatus abessent, neque, si peterentur, haberi possent. Item, si minister idoneus non abesset quidem, sed fideles difficulter ad eum possent accedere.

II. Dein deficientia sacerdotis idonei per mensem perduraverit.

Sub iure antiquo satis erat, ut sacerdotis defectus per mensem duraturus praevideretur. « Quando, ita S. Off. d. 1 Iulii 1863 ad Ep. Villesprat., difficilis nec tutus est accessus, et ignoratur, quandonam parochus haberi possit et *praevidetur*

[1]) *S. C. Conc.* d. 27 Iul. 1908, ad V.

spatium saltem unius mensis a loco abfuturus, nullusque alius est, qui vices parochi suppleat, matrimonium valere (Patres declararunt) absque praesentia parochi, servata tamen in eo quo potest, forma Concilii, nempe adhibitis saltem duobus testibus ».

Haec eatenus immutata sunt, quatenus novum ius praescribit, ut regula excusans non ex *praevisione*, sed ex *facto* desumatur, nimirum ex impossibilitate habendi sacerdotem idoneum, quae a mense iam *perduraverit*. Quomodo mensis computandus sit, diximus supra (p. 44). Praeterea integritatis causa notetur, S. C. Conc. d. 17 Iulii 1908 « Negative » respondisse ad quaesitum VI: « Utrum ratione momentanei, inopinati et fidelibus prorsus incogniti transitus per aliquem locum a quo iam a mense missionarius abest, interrumpi dicenda sit illa rerum conditio, de qua in art. VIII decreti ». Post mensem elapsum matrimonium sine ministro contrahi potest, etsi deficientia ministri praevideatur *mox cessatura*.

III. Multum disputatum fuit, utrum requireretur impotentia *communis* (id est respiciens omnes vel quasi omnes regionis nupturientes) vel saltem *regionalis* (id est ea quae respicit integram regionem, etsi non afficiat nupturientes omnis conditionis), an sufficeret *personalis*. *Communem* vel saltem *regionalem* requiri, plerique ex verbis decreti « in aliqua regione » deducebant; verum e responso d. 12 Mart. 1910 (ad I) a S. C. de Sacram. edito eruitur, *requiri*, sed etiam *sufficere* impotentiam *personalem*, ita ut matrimonium possit valide et licite contrahi coram solis testibus, semper ac, elapso iam mense, sacerdos competens absque gravi incommodo haberi vel adiri nequeat [1]). Non refert, utrum incommodum

[1]) « Quibus attentis, inquit *De Smet*, descriptum privilegium applicari posse videtur in Belgio (et item in Gallia, Germania, Hollandia), erga matrimonia coram Ecclesia celebranda inter sponsos, qui *civiliter contrahere non valeant et quorum nuptiis assistere, ob severas poenalitates in codice nostro Poenali comminatas, inde a mense detrectaverit sacerdos competens.*

Et sane nemo neget, sacerdotem gravi detineri incommodo, quominus assistentiam suam in dictis adiunctis praebeat; adeoque, quando ex hac causa praesentiam suam detrectat, illico obtinet unica conditio in norma praesentis decreti requisita: frustra iam opponitur, quod hucusque non sine specie veritatis opponebatur, impossibilitatem illam non esse generalem nec plerosque nupturientes afficere.

Profecto sola incapacitas pro sponsis caeremonias civiles adimplendi

oriatur a parte nupturientium an a parte sacerdotis. Neque, uti eadem Congregatio d. 12 Mart. 1910 (ad III) declaravit, obstat, quod quis *in fraudem legis* egerit, id est, quod ipsemet sibi causa voluntaria fuerit, cur nuptias coram sacerdote competente inire nequeat, puta adeundo locum in quo sacerdos competens sine gravi incommodo haberi nequit.

IV. Ut ii qui sine assistentia ministri sacri nuptias inire possunt, valide contrahant, debent *consensum formalem coram duobus testibus emittere*. Attamen non requiritur, ut testes *consensum requirant*.

Si autem quaeratur, quomodo in eiusmodi casu practice procedi possit, respondeo hisce S. C. de Prop. F. quae utiliter pro norma assumi possunt: « Tali casu parentes duos testes eligant qui una cum sponso et sponsa eorumque propinquis ad ecclesiam se conferentes, flexis genibus, consuetos fidei, spei, charitatis, contritionis actus in communi recitent, sicque sponsus et sponsa ad contrahendum matrimonium recte se disponant. Post haec surgentes sponsi coram praedictis testibus per verba de praesenti mutuum exprimant consensum, et post actas gratias Deo domum revertantur. Si autem ad ecclesiam ire nequeant, in privatis domibus praedicta observentur » [1]). Neque *obligatio* est postea, etiamsi commode fieri possit, benedictionem nuptialem petendi. Denique observes, aliquando ex *epikeia* fieri posse, ut matrimonium valide contrahatur, etsi non solum sacerdos competens, verum etiam unus vel ambo testes deficerent: puta si quis secus aut

---

ante matrimonium religiosum, non sufficit, ut sponte sua et proprio marte ad matrimonii celebrationem procedant coram duobus testibus: posset namque parochus consentire ut, non obstante violatione legis anterioritatis et poenae comminatione, per se vel per alium nuptiis assistat: quo casu nihil retineret nupturientes a celebratione matrimonii coram sacerdote, cum ipsi sponsi ab omni poenalitate sint immunes. Requiritur proinde, ut dictis sponsis praevie constiterit de voluntate sacerdotis competentis, formiter ad hoc requisiti, suam assistentiam detrectandi, atque exinde mensis spatium effluxerit; requiritur etiam ad privilegii usum, ut nupturientes nullo detineantur impedimento canonico, in quo nitatur parochus ad assistentiam suam denegandam. In hisce non spernenda praesto est cautela contra abusus qui nati essent sequi ex nuptiarum celebratione extra sacerdotis praesentiam, si ad illam posset procedi, inconsulto parocho vel Ordinario, vel si quaecumque praesentiae detrectatio ex parte parochi titulum constitueret pro sponsis utendi privilegio ». (O. c.[2], p. 90).

[1]) *S. C. de Prop. Fide*, Collect., 1907, n. 816.

diutissime a matrimonio ineundo abstinere deberet, aut gravis infamiae periculo exponeretur, aut, uti plures volunt, in *gravissimo* aeternae damnationis periculo versaretur [1]).

Casus practicus.

Missionarius aliquam missionis stationem sexta quaque hebdomade invisere consuevit. At ecce, Iacobus et Anna, praedictae stationis incolae, adiunctis non praevisis exortis, matrimonium inire cupiunt, antequam pastor spiritualis rediturus sit. Possunt equidem sine incommodo Missionarium adire, quippe quum singulis hebdomadibus stationem in qua nunc versatur, negotiationis causa petere assueverint. Verum, quum in propria statione nuptiis inter se coniungi malint, transacto integro a discessu Missionarii mense, sine ministri sacri assistentia, adhibitis tamen duobus testibus, matrimonium ineunt.

Quaeritur, num Iacobus et Anna valide contraxerint.

Solutio.

Iacobus et Anna invalide contraxerunt. Habebatur quidem impotentia *communis* eaque per *mensem* perduraverat. Verum haec, sicuti *non requiritur*, ita *neque sufficit*. Requiritur autem et sufficit impotentia *personalis per mensem protracta*; quae quidem in casu proposito aberat. Ut Iacobus et Anna valide inirent nuptias, ad Missionarium accedere debuissent.

ARTICULUS IX.

De matrimoniis contractis annotandis.

§ 1. « *Celebrato matrimonio, parochus vel qui eius vices gerit statim describat in libro matrimoniorum nomina coniugum ac testium, locum et diem celebrati matrimonii, atque alia, iuxta modum in libris ritualibus vel a proprio Ordinario praescriptum; idque licet alius sacerdos vel a se vel ab Ordinario delegatus matrimonio astiterit.*

---

[1]) *Van de Burgt-Schaepman*, O. c.[3], p. 294.

§ 2. *Praeterea parochus in libro quoque baptizatorum annotet, coniugem tali die in sua parochia matrimonium contraxisse. Quod si coniux alibi baptizatus fuerit, matrimonii parochus notitiam initi contractus ad parochum baptismi sive per se sive per curiam episcopalem transmittat, ut matrimonium in baptismi librum referatur.*

§ 3. *Quotiens matrimonium ad normam n. VII aut VIII contrahitur, sacerdos in priori casu, testes in altero, tenentur in solidum cum contrahentibus curare, ut initum coniugium in praescriptis libris quam primum annotetur* ».

Articulus nonus continet ea quae post matrimonium contractum peragenda sunt. Scilicet:

I. Primum obligatio est describendi in libro matrimoniorum nomina coniugum ac testium, locum et diem celebrati matrimonii. Addantur vel suppleantur ea quae a iure particulari praescripta sunt, puta denuntiationes factae vel omissae, dispensatio in impedimentis publicis, licentia assistendi ab alio obtenta, convalidatio matrimonii in foro externo, solutio matrimonii rati.

Inscriptio fiat in *libro matrimoniorum*, non in foliis separatis.

Dein inscriptio *statim* peragatur. Porro aliqui censent, sufficere, ut intra tres dies fiat; verum haec sententia sensui obvio vocis « statim » adversari videtur. Accedit quod lex, ista interpretatione admissa, annotationi matrimoniorum non satis providisset.

Praedicta obligatio incumbit *parocho*, eiusve *vices gerenti*, atque quidem parocho *loci* in quo matrimonium contrahitur. Itaque inscriptio non fiat ab *Ordinario* vel parocho *personali* qui matrimonio astiterint; neque a parocho proprio, qui forte *in alterius paroecia* nuptiis interfuerit. Quamvis verba « manu sua » quae habet Rit. Rom., in decreto praetermissa sint, nihilo minus obligatio dicenda est *personalis*, uti satis indicat responsum d. 12 Mart. 1910 (ad V) a S. C. de Sacram. datum.

Denique obligatio annotandi matrimonia *gravis* est, adeo ut sola moralis impossibilitas ab ea excuset [1]). Itaque graviter peccaret parochus, si aut inscriptionem praetermitteret

[1]) *S. C. de Sacram.*, d. 12 Mart. 1910, ad IX.

aut gravi periculo eam praetermittendi se exponeret; obligatio autem *statim* inscriptionem faciendi aliquibus videtur esse *gravis ex genere suo* ut dicitur. Verum, excluso periculo annotationem praetermittendi, dilatio etiam longior gravem culpam non videtur involvere.

II. Praeter obligationem de qua modo dictum est, parochus tenetur obligatione annotandi in libro baptizatorum, coniugem tali die in sua paroecia matrimonium contraxisse. Sufficit et in loco ubi baptismus sponsi, et in loco ubi baptismus sponsae annotatus est, addidisse v. g. « die 20 Iulii 1912 matrimonium in hac paroecia iniit ». Praestat atque convenit addere, cum quanam persona matrimonium contraxerint. Atque haec quidem valent, quando parochus *matrimonii* est etiam parochus baptismi.

Quodsi uterque vel alteruter coniugum *alibi* baptizatus fuerit, parochus qui per se vel per alium matrimonio astitit, sive per se sive per curiam episcopalem (propriam aut parochi qui baptizavit) matrimonium contractum denuntiabit parocho (vel parochis) tam *baptismi sponsi* quam *baptismi sponsae*. Ea autem matrimonii denuntiatio quae a parocho *baptismi* in libro *baptizatorum* inserenda est, contineat « coniugum eorumque parentum nomina et agnomina, aetatem contrahentium, locum diemque nuptiarum, testium qui interfuerunt nomina et agnomina, habeatque parochi subscriptum nomen cum adiecto parochiali sigillo. Inscriptio autem accurate indicet paroeciam, dioecesim, oppidum seu locum baptismi coniugum, et ea quae ad scripta per publicos portitores tuto transmittenda pertinent » [1]).

« Si forte accidat, ut . . . baptismi parochus in recipienda denuntiatione matrimonii comperiat alterutrum contrahentium

---

[1]) *S. C. de Sacram.* d. 7 Febr. 1911. Refero formulam apud *Coll. Brug.* (1911, p. 309) propositam: « Rev. Dom^{e} Pastor. — Reverentiam Vestram certiorem facio, N. N., aetatis... filium (filiam) N. N. et N. N. in parochia tua..., die... mensis... anni... baptizatum (baptizatam), coram me infrascripto (vel: coram N. N. a me specialiter delegato) et duobus testibus N. N. et N. N., die... mensis... 19 ... legitime contraxisse matrimonium cum N. N., aetatis..., filia (filio) N. N. et N. N. Quod matrimonium dignetur Reverentia Vestra in baptismi librum referre.

N. N., parochus in N.
(Sigillum parochiale)

X..., die... mensis... 19 ...

aliis nuptiis iam esse alligatum, rem quantocius significabit parocho attentati matrimonii » [1]).

III. Quodsi matrimonium ad normam articuli VII (p. 59) contractum est, *sacerdos qui matrimonio astitit*, cum *contrahentibus* tenetur in solidum curare, ut praedictae inscriptiones quamprimum fiant. Ad idem tenentur *testes* cum *contrahentibus*, si matrimonium ad normam articuli VIII[1] initum est (p. 68). Practice in utroque casu saepissime expediet, ut parochus *loci in quo nuptiae factae sunt*, suscipiat onus matrimonium contractum denuntiandi parocho *baptismi*.

Quoad annotationem matrimonii *conscientiae* a decreto *Ne temere* nihil immutatum est [2]).

ARTICULUS X.

De poenis ferendis et latis contra parochos, legis transgressores.

« *Parochi qui heic hactenus praescripta violaverint, ab Ordinariis pro modo et gravitate culpae puniantur. Et insuper si alicuius matrimonio asisterint contra praescriptum § 2 vel 3*

---

[1]) *S. C. de Sacram.* d. 17 Febr. 1911.

[2]) Denique quod attinet ad probationem et annotationem aliquorum matrimoniorum in specie refero haec ex *Actibus Apost. Sedis* (1911, p. 103): « Emus Patriarcha Venetiarum S. C. de disciplina Sacramentorum sequens proposuit dubium: An et quibus in casibus quibusque sub conditionibus admitti valeat tamquam sufficiens probatio initi matrimonii simplex affirmatio eorum qui ex America aliisve dissitis regionibus adveniunt, quotiescumque documentum vel alia legitima probatio celebrationis matrimonii, aut omnino haberi nequeat, aut nonnisi admodum difficulter et post longum tempus, cum interea rerum adiuncta moram inquisitionis non patiantur. — Cui dubio Emi ac Revmi Patres in plenariis Comitiis habitis die 17 Februarii 1911, re mature perpensa, respondendum censuerunt: Imprimis curandum diligentissime est, ut factum contracti matrimonii legitimis probationibus ostendatur: quae probationes, licet studiose quaesitae, si haberi nequeant, deferatur partibus iuramentum quo propriam assertionem confirment: hoc praestito, partes habeantur tamquam legitimo matrimonio coniunctae, earumque proles ut legitima. Excipiendi tamen sunt casus in quibus ius plenam probationem requirit ex. gr. si agatur de praeiudicio alterius matrimonii vel de ordinibus suscipiendis. Matrimonium autem per iuramentum ut supra confirmatum inscribatur non quidem in communi matrimoniorum libro, sed in distincto libello ad hoc destinato ». (*S. C. de Sacram.* d. 6 Mart. 1911.)

n. V, emolumenta stolae sua ne faciant, sed proprio contrahentium parocho remittant».

I. Poena de qua in praesenti articulo sermo est, duplex distinguitur, una ab *Ordinario* infligenda, altera ab *ipsa lege* inflicta. Poena a *lege* inflicta consistit in eo, quod emolumenta «stolae» [1]) proprio contrahentium parocho remitti debent. Haec poena *latae sententiae* est, atque, utpote quae respiciat ius acquirendum, etiam ante sententiam declaratoriam subeunda est.

II. Poena a *lege* inflicta respicit *parochos*, non *sacerdotes delegatos*. Etenim lex de *solis prioribus* sermonem facit; iamvero «in poenis benignior est interpretatio facienda» [2]). Praeterea respicit *solos parochos* qui contra praescriptum *§ 2 vel 3 n. V* matrimonio astiterint. Ex hisce consequitur, iura «stolae» non esse remittenda a parocho sponsi qui, praetermisso parocho sponsae, illicite matrimonio astitit; siquidem non est transgressus *praescriptum § 2 vel 3 n. V*. Idem dicendum de parocho qui ob gravem necessitatem sine licentia parochi proprii matrimonio interfuit; etenim dici nequit, in casu haberi *transgressionem* praescripti *§ 2 vel 3 n. V*, utpote quae diserte involvant, ea ob causam gravem non obligare.

Poena ab *Ordinario* infligenda respicit *parochos* qui *quamcumque* legis praescriptionem violaverint. Ita, *spectato decreto*; siquidem aliunde Ordinario competit facultas non solum parochum, verum etiam delegatum qui legem infregerit, puniendi.

Cui iura stolae cedenda sunt, si plures parochi proprii habentur?

R. Ad mentem legislatoris statuendum videtur, parochum sponsae parocho sponsi praeferendum esse. Si sponsa plures parochos habet, iura stolae restituantur ei e parochis sponsae cui voluerit, donec ipsemet legislator vel Ordinarius loci rem magis determinaverit. Quod quidam docent, iura stolae esse restituenda ei coram quo matrimonium contractum

---

[1]) Emolumenta stolae hic intelleguntur ea quae parocho *qua tali* ex celebratione matrimonii competunt; ad quae non pertinent stipendium missae, dona ex amicitia a contrahentibus data, etc.

[2]) *Reg. Iuris* XLIX, in 6o. Ex hisce tamen, uti patet, non sequitur, *delegato* fas esse retinere iura stolae *eumve* ab Ordinario non posse puniri.

fuisset, nisi alius illegitime astitisset, id materiam hanc nimis indeterminatam atque dubiam relinqueret.

Ad quid tenetur parochus qui contra praeceptum § 2 vel 3 n. V matrimonio astitit, et iura stolae sine iusta causa partim aut integra remisit?

R. Censeo, in casu tam parochum quam nupturientes in solidum, ut dicitur, ad restitutionem teneri; primario equidem nupturientes, secundario vero parochum, utpote qui causa iniusta damni fuerit, remittendo scil. ea ad quae parochus proprius, mediante assistentia ipsius (id est parochi non proprii), ius acquisiturus est.

Postremo notandum, poenam suspensionis a Conc. Trid. (S. XXIV, c. 2) statutam [1]), sublatam esse; quandoquidem decretum nostrum quod omnia et singula ad amussim definit, de poena ista mentionem non facit. Accedit, quod licentia quae sub antiquo iure ad *valorem* necessaria erat, sub novo iure ad *solam liceitatem* requiritur; quo posito, convenit, ut poena severa quae sub antiquo iure vigebat, sublata sit.

Casus practicus.

Antonius parochus sine debita licentia parochi proprii assistit matrimonio Iacobi et Annae. Porro Iacobus domicilium habebat in paroecia Petri, Anna vero in paroecia Pauli. Haec autem per plures menses qui matrimonio antecesserant, in paroecia Cornelii commorata erat.

Quaeritur, num et cuinam teneatur Antonius restituere iura stolae.

Solutio.

Antonius ad restitutionem tenetur: etenim matrimonio astitit contra praescriptum § 2 et 3 n. V decreti *Ne temere*. Potest autem, nisi superior ecclesiasticus hanc rem magis determinaverit, restituere sive Paulo sive Cornelio, prout maluerit. Uterque quippe erat parochus sponsae.

---

[1]) «Si quis parochus, ita Conc., vel alius sacerdos, sive regularis sive secularis sit, etiam si sibi ex privilegio vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochiae sponsos sine illorum parochi licentia matrimonio coniungere aut benedicere ausus fuerit, ipso iure tam diu suspensus manet, quam diu ab Ordinario eius parochi qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur».

ARTICULUS XI.

De iis qui decreto « Ne temere » astringuntur.

§ 1. « *Statutis superius legibus tenentur omnes in catholica Ecclesia baptizati et ad eam ex haeresi aut schismate conversi (licet sive hi sive illi ab eadem postea defecerint), quotiens inter se sponsalia vel matrimonium ineant.*

§ 2. *Vigent quoque pro iisdem de quibus supra catholicis, si cum acatholicis sive baptizatis sive non baptizatis, etiam post obtentam dispensationem ab impedimento mixtae religionis vel disparitatis cultus, sponsalia vel matrimonium contrahunt; nisi pro aliquo particulari loco aut regione aliter a S. Sede sit statutum.*

§ 3. *Acatholici sive baptizati sive non baptizati, si inter se contrahunt, nullibi ligantur ad catholicam sponsalium vel matrimonii formam servandam* ».

Prae oculis habito articulo XI una cum declarationibus S. C. Conc. mox citandis, statui possunt regulae quae sequuntur.

Regula prima: *Nova lex astringit omnes catholicos ritus latini, sive inter se, sive cum catholico ritus orientalis, sive cum acatholico sponsalia vel matrimonium ineunt.*

Porro nomine *catholicorum* hic veniunt:

1. Omnes qui baptizati sunt in *Ecclesia catholica*, etiamsi forte in haeresi educentur vel postea a vera Ecclesia deficiant. Quinam vero praecise accensendi sint baptizatis in *Ecclesia catholica*, non ita facile est determinatu; quin immo donec novae declarationes hanc rem elucidaverint, integra atque indubia ad hanc quaestionem responsio dari nequibit. Interim haec statui posse videntur: Clarum est, illos in Ecclesia catholica baptizari, qui ex propria intentione in ordine ad Ecclesiam catholicam baptismum recipiunt. Quod ad infantes attinet qui propriae intentionis incapaces sunt, ii dici possunt in Ecclesia catholica baptizari, si in ordine ad Ecclesiam catholicam baptizantur: *a*) ex intentione — esto mere interpretativa — tam baptizantis quam eorum quibus legitime subduntur; *b*) ex intentione, etiam mere interpretativa, eorum quibus subiciuntur, etsi forte intentio baptizantis diversa sit; sufficit intentio *alterutrius* parentis; *c*) idem pro-

babiliter dicitur, si quis baptizatur in ordine ad Ecclesiam catholicam ex sola intentione legitime seu licite baptizantis, etiamsi ii qui infantibus praesunt, non consentiant.

2. Praeterea nomine *catholicorum* veniunt ii qui in Ecclesia catholica non baptizati, ex haeresi vel schismate ad eam conversi sunt, etiamsi postea ad vomitum redeant. Porro ad Ecclesiam catholicam convertitur aliquis per baptismum in ea susceptum, si nondum baptizatus est, per externam fidei professionem, si baptismum iam recepit.

Ceteri *acatholici* sunt, sive *infideles*, si carent baptismo, sive *haeretici* vel *schismatici*, si baptizati sunt [1]).

Atque ea quidem *generatim* verissima sunt. Disputatur autem, utrum *catholicis* an *acatholicis* accensendi sint ii qui a genitoribus acatholicis nati, sed in Ecclesia catholica baptizati, postea ab infantili aetate in haeresi seu infidelitate vel sine ulla religione adoleverint. Porro S. C. de Sacram. ad quaesitum, quid dicendum sit de matrimoniis praedictorum, quoties cum parte acatholica vel infideli contraxerint, respondit d. 31 Mart. 1911: « recurrendum esse in singulis casibus ».

Pariter disputatur, utrum inter *catholicos* an inter *acatholicos* annumerari debeant infantes nondum septennes qui in haeresi baptizati sunt, sed a parentibus conversis in fide catholica educantur. Alii censent, ad conversionem hic requisitam actum *proprium* requiri, ita ut praedicti infantes *acatholicis* accensendi sint, donec per actum *proprium* ad Ecclesiam catholicam transierint. Alii opinantur, eiusmodi infantes quasi per *parentes* atque uno cum illis ad Ecclesiam catholicam converti.

En igitur ii qui, attento impedimento clandestinitatis [2]), *nunc* veniant nomine *catholicorum* atque *acatholicorum*. Itaque, ut regulam primam repetam atque paucis illustrem:

Lex nova astringit omnes catholicos ritus latini, si sponsalia vel matrimonium ineunt:

a) inter se;

---

[1]) *S. C. Conc.* d. 28 Mart. 1908 (ad II) declaravit, nomine *acatholicorum* comprehendi etiam schismaticos et haereticos *rituum Orientalium*.

[2]) Dixi « attento impedimento clandestinitatis »; siquidem, attento impedimento prohibente *mixtae religionis*, plures etiam *nunc* veniunt nomine *haereticorum*, quos praesens decretum quod de solo impedimento clandestinitatis agit, nomine *catholicorum* voluit comprehensos.

b) *cum catholico ritus Orientalis* [1]);

c) *cum acatholico*. Perinde est, utrum acatholicus sit baptizatus an non baptizatus, utrum ante an post dispensationem ab impedimento mixtae religionis vel disparitatis cultus sponsalia vel matrimonium cum acatholico ineantur. Ita expresse decretum *Ne temere* (n. XI, 2). Sequitur igitur, iam non valere principium antea satis communiter admissum: *Pars immunis communicat cum altera parte suam immunitatem*; atque pro eo substitutum esse contrarium: *Pars ligata communicat cum altera parte suum ligamen.*

Addit tamen decretum, leges statutas vigere pro catholicis, si cum acatholicis sponsalia vel matrimonium contrahunt; *nisi pro aliquo particulari loco aut regione aliter a S. Sede sit statutum* (n. IX, § 2). Porro S. C. Conc. respondit ad quaesitum: « An sub art. XI, § 2, in exceptione enuntiata illis verbis: *nisi pro aliquo particulari loco aut regione aliter a S. Sede sit statutum*, comprehendatur tantummodo Constitutio *Provida* Pii PP. X; an potius comprehendantur quoque Constitutio Benedictina et cetera eiusmodi indulta impedimentum clandestinitatis respicientia »; — S. C., inquam, d. 1 Febr. 1908 (ad IV) ad illud quaesitum respondit: « Comprehendi tantummodo Constitutionem *Provida*; non autem comprehendi alia quaecumque decreta, facto verbo cum SS^mo et ad mentem » [2]). Itaque abrogata sunt et Declaratio Benedictina et alia particularia quae circumferebantur statuta, unaque vigere pergit exceptio, scil. ea quam pro Imperio Germanico statuit Const. *Provida*; quae quidem Constitutio, d. 18 Ian. 1906 edita et a d. 15 Apr. 1906 vigens, d. 23 Febr. 1909, ad regnum Hungariae extensa est, atque praeter alia [3]) declarat, matrimonia et *haereticorum vel schismaticorum inter*

---

[1]) *S. C. Conc.*, d. 28 Mart. 1908, ad I.

[2]) « Mens est, ut scribatur Episcopis Germaniae, ut perpendere velint graviora incommoda quae proveniunt ex matrimoniis mixtis: et hinc supplicare SS^mo, ut tempore opportuno abrogare Constitutionem *Provida* dignetur ». (*Il Monitore*, 1909, p. 204).

Comprehendi in exceptione *solam* Constitutionem *Provida*, confirmatur responso d. 8 Iul. 1908 a S. C. Conc. dato, quod declarat, privilegia quae in imperio Russiaco et regno Poloniae vigebant, abrogata esse (*Acta Apostolicae Sedis*, 1909, p. 505).

[3]) Alia de Constitutione *Provida* quae huc non spectant, vide in appendice 1ª, p. 94.

se et *mixta* esse valida, etsi clandestine ineantur. Dixi « esse valida » ; nam *illicitum* est et manet, impetrata licet dispensatione ab impedimento mixtae religionis, clandestine contrahere.

Ut autem ea quae pro Imperio Germanico atque Regno Hungarico viget exceptio, rite intellegatur, haec notanda :

a) Exceptio, quod ad Germaniam attinet, respicit Imperium Germanicum *stricte dictum*, adeo ut excludantur loca quae solummodo sub protectione Germaniae sunt atque praedictum Imperium *non constituunt* [1]). « Nomine regni Hungariae, ut dicitur in responso, d. 5 Mart. 1909 a Secretario S. C. de Sacram. dato, venit non modo Hungaria proprie dicta cum Transsylvania, sed etiam partes eidem annexae, seu omnes terrae ad coronam S. Stephani pertinentes, ac proinde etiam Croatia, Slavonia, Civitas Huminensis (Fiume) ; omnia itaque loca sub regimine regis Apostolici nunc constituta ». (*Litterae circulares Episc. Hungariae*, d. 16 Mart. 1909).

b) Exceptio valet pro solis *matrimoniis*, nequaquam vero pro *sponsalibus* ; quandoquidem Constitutio *Provida* cui exceptio innititur, de *solis matrimoniis* sermonem facit.

c) Exceptio, sicuti ipsa Constitutio, respicit sola matrimonia *mixta*, id est, ea quae a catholico cum parte acatholica baptizata contrahuntur. Matrimonia *acatholicorum inter se* iam ubique valida sunt. Praeterea, etiam quod ad Germaniam atque Hungariam spectat, vox *catholicorum* et *acatholicorum* quoad impedimentum *clandestinitatis* eodem sensu sumenda est quo sumitur in dicto decreto, qui quidem sensus supra expositus est (p. 77). Hinc ad dubium : « Num in imperio Germaniae catholici qui ad sectam haereticam vel schismaticam transierunt, vel conversi ad fidem catholicam ab ea postea defecerunt, etiam in iuvenili vel infantili aetate, ad valide cum persona catholica contrahendum adhibere debeant formam in decreto *Ne temere* statutam, ita scilicet ut contrahere debeant coram parocho et duobus saltem testibus » ; ad istud dubium, inquam, d. 1 Febr. 1908 (ad V) responsum est a S. C. Conc. : « Affirmative ».

---

[1]) *Leitner*, *O. c.*, S. 65 ; *Sägmüller*, Kirchenrecht², S. 575, Nota 1.

d) Exceptio valet pro iis solis matrimoniis quae contrahuntur aut in *Imperio Germanico* a coniugibus qui *ambo in Germania nati sunt*, aut in *Regno Hungarico* a personis quae *ambae in Hungaria natae sunt*. Etenim ad quaesitum: « Num exceptio, per Const. *Provida* in Germania inducta, censenda sit uti mere localis aut etiam personalis, » S. C. Conc. d. 28 Mart. 1908 (ad III), respondit: « Exceptionem valere tantummodo pro natis in Germania ibidem matrimonium contrahentibus, facto verbo cum SS^mo ». Et S. C. de Sacram. d. 18 Iun. 1909 declaravit, requiri, ut contrahentes in regno Germaniae *ambo in Germania*, contrahentes in regno Hungariae *ambo in Hungaria* nati sint. Itaque non requiritur, ut contrahentes intra limites Imperii Germanici vel Regni Hungarici *habitent*, neque ut *vagi sint*; requiritur et sufficit, ut ibidem *nati sint*, modo *natus in Germania* cum parte, itidem *in Germania nata*, intra limites *Imperii Germanici* contrahat, *natus vero in Hungaria* cum parte, item *in Hungaria nata*, intra limites *Regni Hungarici* nuptias ineat.

« Si autem, inquit Wernz, quaerimus de mixtis matrimoniis in Germania intra tempus a promulgata Const. « *Provida* » usque ad declarationes postea datas, dicendum est, matrimonia mixta usque ad d. 28 Martii clandestine contracta quaecumque fuisse valida; usque ad d. 15 Iunii 1909 ea tantum in quibus alter saltem contrahens in Germania natus fuerit; ab hoc die illa tantum esse valida, quorum uterque contrahens sit in Germania natus. Ratio est, quia ante citatas decisiones circumstantia illa de nativitate alterutrius aut utriusque partis in Germania a verbis legis non exigebatur. Defectus ergo huius circumstantiae impedimentum dubium ac proinde nullum constituebat » [1]). Ita cl. *Wernz*; mihi autem integra haec controversia adeo implicata videtur, ut, si casus occurrat, ad S. Sedem recurrendum esse censeam.

---

[1]) *O. c.*[2], p. 310. Sententia quae non omni fundamento destituta est, docet, principium illud tunc tantum valere, quum impedimentum *communiter* vel *quasi communiter* pro vere dubio habetur. Scilicet doctrina secundum quam sufficit, ut impedimentum *dubie exsistat* seu *probabiliter desit*, ansam dat matrimoniis invalidis; quandoquidem plures pro probabili habent quod vere probabile non est: quae quidem difficultas eo magis urgeri potest quod, uti alibi fuse exposuimus (*De Minusprobabilismo*[2], p. 14-17), vox « probabilis » valde vaga est, immo a diversis diverso sensu accipitur.

Regula altera: *Lex nova non astringit catholicos ritus Orientalis* [1]*, sive inter se sive cum acatholico contrahunt* [2]. Primum deducitur ex eo quod *Orientales* decretis disciplinaribus, licet universalibus, non astringuntur, nisi diserte mentio fiat de eis [3]. Accessit d. 1 Febr. 1908 (ad I) declaratio S. C. Conc. Alterum eruitur ex eo quod, si cum acatholico contrahunt, ambae partes exemptae sunt. Attamen si Orientales clandestine inirent sponsalia vel matrimonium cum catholico *ritus Latini*, ea forent invalida. Itaque catholici ritus Orientalis quoad clandestinitatem eisdem ac antea legibus subiciuntur. Ubi matrimonia clandestina ante decretum *Ne temere* valida erant, ibi et nunc valida sunt. Ubi lex Tridentina vigebat, ibi et nunc viget. Orientales autem extra proprium territorium degentes atque ibidem domicilio vel quasi-domicilio gaudentes, ut valide inter se contrahant, neque decretum *Ne temere* a quo ubique immunes sunt, neque legem Tridentinam quae per decretum *Ne temere* revocata est, servare tenentur [4].

Regula tertia: *Lex nova non astringit acatholicos neque baptizatos neque non baptizatos, sive inter se sive cum catholico ritus Orientalis contrahunt.* Prius in ipso decreto enuntiatur (n. XI, § 3); alterum, uti iam dictum est, efficitur ex eo, quod tam catholici ritus Orientalis quam acatholici a lege nova immunes sunt.

Atque hic pro praxi advertas, impedimentum *publicae honestatis* facilius oriturum esse e sponsalibus *acatholicorum quorum utraque vel alterutra pars baptizata est*, quam ex eis quae *catholici inter se* ineunt. Etenim praedictum impedimentum producitur a sponsalibus validis; porro sponsalia clandestina acatholicorum baptizatorum valida sunt; non ita sponsalia clandestina catholicorum.

Quaestio. — *Quaenam servanda sunt, ut convalidetur*

---

[1]) Advertas, non omnes catholicos qui habitant in Oriente, esse catholicos *ritus Orientalis*.

[2]) Excipiuntur *Rutheni* qui pertinent ad dioeceses provinciae Galicianae, nempe Leopolitanam, Premislensem et Stanislaopolitanam; ad quos S. C. de Prop. Fide d. 5 Maii 1911 decretum *Ne temere* extendit (*Theol.-prakt. Quartalschrift*, 1911, p. 365 et 905).

[3]) *S. C. de Prop. Fide*, d. 8 Nov. 1882 (Collect., 1907, n. 1578).

[4]) *Vermeersch*, O. c., n. 88; *Wernz*, O. c.[2], p. 306.

matrimonium mixtum quod ob impedimentum clandestinitatis invalidum est?

R. Cautionibus debitis praestitis atque obtenta dispensatione ab impedimento mixtae religionis, utraque pars consensum emittat coram parocho locive Ordinario vel delegato ab alterutro et duobus testibus [1]). Is autem qui matrimonio convalidando assistit, servet ea quae iuxta supra exposita ad validam et licitam assistentiam requiruntur.

Quodsi pars acatholica renuat praestare cautiones debitas, peti potest — modo a parte catholica absit perversionis periculum atque ab ea promittantur quae promittenda sunt, — ut aut dispensatio ab impedimento mixtae religionis vel disparitatis cultus, aut sanatio in radice concedatur [2]). Si autem pars acatholica nolit neque per se neque per procuratorem renovare consensum coram parocho vel Ordinario vel delegato ab alterutro et duobus testibus, nihil superest, nisi ut petatur sanatio in radice. Practice casus deferatur ad Ordina-

---

[1]) In eiusmodi casu partes per se statim separari debent ratione tam publici scandali quam periculi; verum si solam separationem, non autem matrimonii convalidationem, detractent, ob eam causam parochus ipsis providere non omittat, addita tamen praedicta circumstantia in litteris supplicibus. Praeterea, obtenta dispensatione, clausula de removendo scandalo observetur.

Ad haec parochus curet, ut pars catholica, antequam ineat matrimonium, a censura, si quam contraxerit, et a peccatis absolvatur; ut autem absolvatur, oportet poeniteat eam non *ipsius matrimonii* quidem, sed *modi illiciti* quo illud contraxit. Practice ad *communionem*, saltem publice, non admittatur, antequam matrimonium convalidatum sit.

Dixi, partem catholicam a *censura*, si quam contraxerit, absolvendam esse; siquidem ii qui ineunt matrimonium *mixtum* coram *ministro acatholico* uti *sacris addicto* (non ut *magistratu civili*), ii, inquam, tanquam *fautores haereseos* incurrunt excommunicationem R. P. specialiter reservatam (S. Off. d. 11 (18) Maii, 1892). Quoad poenam istam haec, collatis diversis documentis, statui posse videntur:

a) Excommunicatio non incurritur ab eis qui eam ignorant, modo ignorantia non sit crassa vel supina vel affectata; quod tamen non impedit, quominus, si res in foro externo tractetur, exigatur absolutio a censura.

b) Quodsi censura contracta sit, sed delictum manserit occultum, absolutio *in foro externo* non requiritur, sed sufficit absolutio *in foro conscientiae*: immo haec absolutio *semper* etiam pro foro externo valet, nisi Ordinarius aliam pro foro externo absolutionem exigat.

c) Absolutione concessa pro foro externo, nihil iam prohibet, quominus simplex confessarius reum a peccatis absolvat. (*S. Off.*, d. 29 Aug. 1888 et d. 18 Maii 1892; *S. Poenit.* d. 27 Iun. 1893 ad Epp. Bavariae).

[2]) Cfr. declarationes Romanas in *Nouv. Rev. Théol.*, 1883, p. 427; item *S. Off.* d. 2 Iun. 1897. Concessa dispensatione, consensus coram parocho eiusve delegato et testibus renovari debet.

rium qui iudicet, quid, visis adiunctis, peragere expediat. Notes tamen, a parte catholica in foro externo cautiones esse praebendas (S. Off. d. 12 Mart. 1881), nisi usus sit integrum negotium in confessionali componendi, neque Eps cautiones exigat.

Casus practicus.

Iacobus infans, a parentibus haereticis natus, in casu gravis infirmitatis ab ancilla catholica baptizatur. Sanitate praeter exspectationem recuperata, in haeresi educatur, posteaque matrimonium init cum Anna haeretica. Verum aliquot post annis cum uxore iurgiosa atque adultera divortium facit. Non ita multo post Iacobus ad fidem catholicam convertitur, cupitque Bertham puellam catholicam sibi adiungere uxorem.

Quaeritur, num Iacobo licitum sit, vivente Anna, matrimonium contrahere cum Bertha.

Solutio.

Solutio casus pendet ab eo, utrum Iacobus *catholicis* an *acatholicis* accenseri debeat. Si *prioribus*, astringebatur impedimento clandestinitatis ideoque eius cum Anna matrimonium — quod utique, utpote ab educato in haeresi cum haeretica initum, absque sacerdotis competentis assistentia contractum est — invalidum fuit. Quo posito, liceret ei ad nuptias cum Bertha convolare. Verum, utrum Iacobus inter *catholicos* an inter *acatholicos* annumerari debeat, privata auctoritate dirimi nequit, ita ut casus noster Romam referendus sit. Idque valet, etiamsi *pro certo haberetur* — id quod solum *probabile* est — Iacobum in *Ecclesia catholica* baptizatum esse. Patet e responso S. C. de Sacram. supra (p. 78) relato. Dixi: solum *probabile* est, Iacobum in *Ecclesia catholica* baptizatum esse. Nam ex intentione *solius licite baptizantis* — scilicet ancillae catholicae — in ordine ad Ecclesiam catholicam baptizatus est; quod, uti p. 78 exposuimus, solum *probabiliter* sufficit, ut in *Ecclesia catholica* baptismum recepisse dicatur.

ARTICULUS XII.

De legis promulgatione, initio obligationis eius, divulgatione et vi derogatoria.

« *Praesens decretum legitime publicatum et promulgatum habeatur per eius transmissionem ad locorum Ordinarios ; et quae in eo disposita sunt ubique vim legis habere incipiant a die solemni Paschae Resurrectionis D. N. I. C. proximi anni 1908.*

Interim vero omnes locorum Ordinarii curent hoc decretum quamprimum in vulgus edi, et in singulis suarum dioecesum parochialibus ecclesiis explicari, ut ab omnibus rite cognoscatur.

Praesentibus valituris de mandato speciali SSmi D. N. Pii PP. X, contrariis quibuslibet etiam peculiari mentione dignis minime obstantibus ».

I. Hisce attentis, *promulgatio* decreti locum habuit eo ipso quoad ad omnes moraliter locorum Ordinarios transmissum est. Itaque decretum iam promulgatum erat, antequam ab Ordinariis fuerat receptum. Neque, quod unus alterve Ordinarius neglectus esset, impediret, quominus promulgatio universalis esset atque etiam dioecesim neglectam attingeret. Decretum vero promulgatum, a die Paschatis, id est a die 19 Aprilis anni 1908, *obligare* coepit.

II. *Divulgatio* decreti locorum Ordinariis committitur.

III. Denique clausula adiecta omne ius quod decreto contrarium est, tam generale quam particulare, tam privilegio quam consuetudine innixum, abrogat.

Casus practicus.

Anna,, mulier catholica, confitetur, se ante tres annos, sine dispensatione ab impedimento mixtae religionis ideoque sine praesentia parochi, nuptias iniisse cum Iacobo qui a fide catholica ad sectam haereticam transierat. Nunc vero ad bonam frugem se recipere cupit.

Quaeritur 1°, num matrimonium de quo in casu agitur, convalidatione indigeat;

2°, si affirmative, quaenam servanda sint, ut vere et licite convalidetur;

3°, quid agendum sit, si pars acatholica detractet ea quae ad veram et licitam convalidationem requiruntur.

Solutio.

R. ad Im: Matrimonium de quo agitur, convalidatione indiget. Etenim impedimentum clandestinitatis, quatenus inde a die solemni Paschae Resurrectionis D. N. I. C. anni 1908 viget, astringit omnes *catholicos ritus Latini*, sive inter se, sive cum catholico ritus Orientalis, sive cum acatholico [1]) matrimonium contrahunt (p. 79). Atqui in casu proposito sermo est de personis quae, spectato impedimento clandestinitatis, ambae *catholicis* annumerantur (p. 78). Hinc matrimonium ab ipsis, non servata forma Piana, contractum invalidum est.

R. ad IIm: Ut praedictum matrimonium *vere* convalidetur, requiritur, ut coram parocho locive Ordinario vel delegato ab alterutro et duobus saltem testibus denuo contrahatur. Ut id *licite* fiat, prius petenda atque obtinenda est dispensatio ab impedimento prohibente mixtae religionis. Equidem diximus, coniugem qui a religione catholica ad sectam haereticam transiit, *catholicis* accenseri; verum haec solummodo valent quod spectat ad *impedimentum clandestinitatis*, nequaquam vero quod attinet ad *impedimentum prohibens mixtae religionis* (p. 79).

R. ad IIIm: Quid in eiusmodi adiunctis fieri possit, diximus p. 83.

Denique in id generis casu pertractando recolas ea quae p. 83 in nota pro praxi notavimus.

---

[1]) Notetur tamen exceptio quae pro imperio Germaniae et regno Hungariae viget (p. 79).

APPENDIX I.

De forma publica matrimonii ante decretum « Ne temere ».

Forma substantialis matrimonii quae ante decretum *Ne temere* vigebat, constituta est per decretum *Tametsi*, quod quidem decretum a Conc. Trid. (sess. XXIV, cap. I *de ref. matr.*) latum haec habet: « Qui aliter quam praesente parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi seu Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et huiusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos praesenti decreto irritos facit et annullat ».

A. — **Tenor legis.** — Spectato decreto modo citato, ea quae ad validam matrimonii celebrationem requiruntur, ad tria reduci possunt.

I. *Primum requiritur, ut matrimonium contrahatur aut coram parocho proprio, aut coram Ordinario proprio utriusque vel saltem alterutrius contrahentium, aut coram delegato ab alterutro.*

1. PAROCHUS PROPRIUS *utriusque vel alterutrius contrahentium.*

a) Nomine *parochi* veniunt iidem quos supra (p. 24) recensuimus. Porro censetur aliquis in parochiali officio constitutus ideoque testis autorizabilis matrimonii, ubi primum paroecia ei collata, etsi nondum tradita est, dummodo neque praedecessor eius possessionem retineat, neque statutum vel consuetudo dioecesana traditionem expostulet. Presbyteratus non requiritur, ut aliquis parochus constituatur. Praeterea valide assistit parochus *putativus*, saltem si habeantur et titulus coloratus et *error communis* [1]); neque valori assistentiae nocet, quod parochus sit *excommunicatus*, etiam *vitandus*,

[1]) *S. C. Conc.*, Dec. 1593; d. 31 Iul. 1627; d. 29 Mart. 1653; d. 10 Mart. 1770.

suspensus, *interdictus*, *irregularis*, vel quod Eps vetuerit eum matrimoniis interesse [1]). Amittitur autem facultas assistendi eo quod quis *titulo* sive *officio* parochiali privatur.

b) Parochus *proprius* alicuius intellegitur parochus in cuius territorio aliquis domicilium vel quasi-domicilium habet [2]). Si quis domicilio et quasi-domicilio caret, aliis verbis, si quis vagus est, is dicitur eius parochus proprius in cuius territorio hic et nunc versatur; idque valet tam pro iis qui *momentanee* domicilio et quasi-domicilio carent, quam pro iis qui *habitualiter* iis destituti sunt atque vagebundam ducunt vitam.

c) Parochus proprius *utriusque* vel *alterutrius contrahentium*. Itaque:

α) Non requiritur, ut parochus qui matrimonio assistat, sit parochus *utriusque* nupturientis, sed sufficit, ut sit parochus *alterutrius*.

β) Quodsi nupturientes plura domicilia vel quasi-domicilia et ideo plures parochos proprios habent, quoad *valorem* nihil refert, quis parochus matrimonio intersit.

2. *Non solum parochus proprius* sed *etiam* ORDINARIUS PROPRIUS *utriusque vel alterutrius contrahentium valide matrimonio assistit.*

a) Quinam veniant nomine *Ordinarii*, supra (p. 28) sufficienter expositum est.

b) Ordinarius *proprius* alicuius is est in cuius dioecesi vel quasi-dioecesi aliquis domicilium vel quasi-domicilium [3]) habet. Si quis domicilio et quasi-domicili careat, Ordinarius eius proprius is est in cuius dioecesi vel quasi-dioecesi hic et nunc versatur. Porro ut aliquis domicilium vel quasi-domicilium canonicum in aliqua dioecesi habeat, requiritur, ut domicilio vel quasi-domicilio gaudeat in aliqua *paroecia* dioeceseos [4]).

3. *Denique matrimonio interesse potest* DELEGATUS *a parocho aut ab Ordinario proprio utriusque vel alterutrius contrahentium.*

Quae delegationem respiciunt, ea supra (p. 50) exposita

---

[1]) *S. C. Conc.*, d. 3 Mart. 1599.
[2]) *S. Off.*, d. 2 Maii 1877.
[3]) De notionibus domicilii et quasi-domicilii confer appendicem 3^m.
[4]) *S. Off.*, d. 9 Nov. 1898.

sunt: videlicet ea quae nunc vigent, ea etiam antea vigebant, nisi quod sub iure novo delegatio facienda est sacerdoti *determinato et certo* ac restricta est ad *territorium delegantis* [1]). Itaque:

a) Sub iure antiquo facultas assistendi concedi poterat sacerdoti non determinato, sed eligendo a contrahentibus nominatim designatis [2]). Licentia autem generalis ineundi nuptias coram quocumque sacerdote et cum *quacumque persona peculiariter et nominatim non designata* invalida fuisse videtur [3]).

b) Sicuti Ordinarius et parochus matrimoniis suorum subditorum *ubique* assistere poterant, ita etiam delegato eam facultatem conferre valebant.

II. *Secundo requiritur, ut matrimonium contrahatur coram duobus saltem testibus, qui praeter parochum, loci Ordinarium aut delegatum ab alterutro, nuptiis assistant.*

Quoad *testes* eadem valent quae supra dicta sunt (p. 30).

III. *Tertio requiritur, ut parochus locive Ordinarius aut delegatus ab alterutro et testes debito modo matrimonio intersint.*

Assistentia praedictorum debet esse: *a*) *completa* (p. 30); *b*) *physica* (p. 30); *c*) *moralis* (p. 31) et *d*) iuxta plures etiam *formalis* (p. 31).

Perinde est, utrum parochus locive Ordinarius aut delegatus vel testes rogati an non rogati, praevie moniti an inopinanter invasi, data opera an casu, vi vel metu coacti aut dolo adducti an secus assistant.

Nihil quoque refert, utrum parochus locive Ordinarius *intra* an *extra* territorium suum intersint matrimoniis eorum qui in sua paroecia vel dioecesi domicilium aut quasi-domicilium habent. *Vagorum* autem matrimoniis *intra limites territorii sui* assistant, quum eorum parochus vel Ordinarius *proprius* is sit in cuius paroecia vel dioecesi hic et nunc morantur. Ubi parochus vel Ordinarius ipsimet valide assistunt, ibidem valide assistendi facultatem concedere possunt delegato.

B. — **Vis legis.** — Lex Tridentina quam modo circumscripsimus, *et localis et personalis* est. Quatenus *localis* est

---

[1]) *S. C. Conc.*, d. 27 Iul. 1908, ad IV.
[2]) *S. C. Conc.*, d. 15 Ian. 1586.
[3]) *Wernz*, O. c.[2], p. 269, nota 217.

astringit omnes qui in loco, ubi viget, matrimonium contrahunt, etiamsi vagi sint aut domicilium vel quasi-domicilium habeant in loco, ubi non viget. Quatenus *personalis* est ligat omnes qui domicilio vel quasi-domicilio gaudent in paroecia legi subiecta, etiamsi forte in loco a lege exempto nuptias celebrent, domicilio vel quasi-domicilio ibidem nondum acquisito. Equidem aliqui censent, eos qui domicilium vel quasi-domicilium in territorio Tridentino habent, posse clandestine contrahere matrimonium in territorio non Tridentino, dummodo non *in fraudem* legis, id est, *ea sola intentione*, ut absque parocho (proprio) et testibus matrimonium ineant, in eiusmodi territorium sese transtulerint. Verum haec sententia communius reicitur.

Hinc ut aliquis hic et nunc a lege Tridentina (saltem quod attinet *ad valorem* matrimonii) immunis esset, requirebatur, ut et contraheret matrimonium in loco exempto, et aut vagus esset, aut domicilio vel quasi-domicilio gauderet in loco pro religionis suae sociis exempto. Sufficiebat vero, idque sedulo notandum, ut *alteruter* contrahentium a lege Tridentina immunis esset; siquidem pro regula habebatur, partem immunem immunitatem suam cum altera parte communicare. Quocirca observes:

a) Ubi matrimonia clandestina *mixta* valida erant, ibi immunitas (directe) afficiebat partem haereticam quae immunitatem suam cum parte catholica communicabat.

b) Principium quod ad communicationem immunitatis spectat, non valebat pro insula *Melitensi* in qua *sola* matrimonia clandestina *haereticorum inter se* valida, *mixta* vero invalida erant (p. 92). Itaque pars haeretica non communicabat immunitatem suam cum parte catholica.

c) Iuxta aliquos interdum uni parti tantummodo conditionata immunitas competebat, ita ut, non servata forma Tridentina, cum sola persona determinatae conditionis valide contraheret. Ita in regionibus in quibus, uti aliqui censent, *sola* matrimonia clandestina *mixta* valida erant, matrimonia clandestina *haereticorum inter se* invalida (p. 93).

d) Etiam ante decretum *Ne temere* in rescriptis dispensationis ab impedimento disparitatis cultus exprimebatur conditio, ut matrimonium in legitima forma celebraretur; ita ut

in casu pars non-baptizata immunitatem suam cum altera non communicaret.

C. — **Promulgatio et extensio legis.** — Conc. Trid., lata lege modo exposita, hisce promulgationem atque modum promulgandi Ordinariis praescribit. « Ne vero haec tam salubria praecepta quemquam lateant, Ordinariis omnibus praecipit, ut, quum primum potuerint, curent hoc decretum populo publicari ac explicari in singulis suarum dioecesum parochialibus ecclesiis, idque in primo anno quam saepissime fiat, deinde vero quoties expedire viderint. Decernit insuper, ut huiusmodi decretum in unaquaque parochia suum robur post triginta dies habere incipiat, a die primae publicationis in eadem parochia factae numerandos [1] ».

Attamen decretum quod ita promulgandum esse decrevit Concilium, pluribus in regionibus aut nullatenus aut non plene viguit, sive quia nequaquam vel saltem non rite publicatum fuerit; sive quia non fuerit ita atque eo tempore promulgatum, ut etiam haereticos attigerit; sive quia non fuerit receptum, sive quia ipsi per dispensationem vel desuetudinem derogatum fuerit. Praeterea a decreti observatione quoad *parochi* (non *testium*) praesentiam excusabat impossibilitas vel magna difficultas habendi vel adeundi parochum locive Ordinarium vel delegatum ab alterutro, modo praedicta difficultas esset: *a*) *communis*, id est, afficeret communitatem vel saltem notabilem communitatis partem; *b*) *diuturna*, id est, per unum mensem perdurasset, aut saltem perduratura praevisa fuisset [2].

Quibus in universum annotatis, lubet fusius exponere, quibus in regionibus et quatenus ante decretum *Ne temere* viguerit vel non viguerit lex Tridentina; in quibus quidem exponendis e re duximus fere ea allegare quae ab aliis auctoribus, praesertim a Wernz [3], referuntur.

I. *Loca in quibus lex Tridentina universaliter vigebat, ita ut et matrimonia catholicorum inter se, et matrimonia haereticorum inter se, et matrimonia mixta, lege praedicta non*

---

[1]) Sess. XXIV, cap. 1 *de ref. matr.*

[2]) *S. C. Conc.*, d. 19 Ian. 1605 et d. 30 Mart. 1669; *S. Off.* d. 23 Mart. 1808 et d. 1 Iul. 1863.

[3]) *O. c.*[2], n. 163.

observata, invalida essent: Italia et insulae adiacentes [1]), Gallia [2]), Hispania [3]), Lusitania, Belgium hodiernum, Magnus-ducatus Luxemburgensis, antiqui pagi *catholici* Helvetiae, Austria cisleithanica [4]), Antiqùa Bavaria cum annexis principatibus ecclesiasticis, Coloniae Hispaniae et Lusitaniae, Liberae civitates Americae Latinae sive meridionalis et centralis et septentrionalis olim regnis Hispaniae et Lusitaniae unitae [5]) v. g. Brasilia et Columbia.

II. *Loca in quibus, neglecta forma Tridentina, matrimonia catholicorum inter se invalida, matrimonia vero haereticorum* [6]) *inter se et mixta valida erant.*

Hisce locis generatim annumeranda sunt Hollandia [7]) aliaeque regiones in quas declaratio a Bened. XIV d. 4 Nov. 1741 pro Hollandia data [8]), postea a Sede Apostolica fuit extensa.

---

[1]) Excipitur insula Melitensis in qua matrimonia *mere catholica* et *mixta* sine forma Tridentina inita *invalida*, matrimonia *haereticorum inter se* sine praedicta forma contracta, *valida* erant (Decretum Leon. XIII, d. 12 Ian. 1890).

[2]) Excepto (in dioecesi Bisuntina) Principatu Montis Belicardi (Montbéliard) ubi, praetermissa forma Tridentina, matrimonia *haereticorum inter se* et *mixta valida*, matrimonia *mere catholica invalida* erant (*Wernz*, l. c.).

[3]) Excepta Gibraltaria quoad matrimonia *haereticorum inter se* et *mixta* (*Wernz*, l. c.).

[4]) Excepto probabilius Ducatu Bucovinensi, quoad matrimonia *haereticorum inter se* et *mixta* (*Wernz*, l. c.). Notetur quoque, a S. Off. d. 10 Febr. 1892 valida esse declarata matrimonia inter partem catholicam et schismaticam in Dalmatia et Albania coram parocho schismatico celebrata.

[5]) *S. Off.*, d. 9 Sept. 1824, d. 30 Ian. 1884 ad Vicar. Apost. Arizone, et d. 23 Nov. 1898 ad Episc. Costaricensem.

[6]) Nomine *haereticorum* hic veniunt: 1° illi qui in haeresi nati atque educati sunt, sive sectam aliquam solemniter professi sunt sive non; 2° illi qui non tam in haeresi quam ab haereticis educantur, nulla scilicet aut vix ulla haereticae doctrinae instructione accepta, et cultu non frequentato licet aliquoties participato; 3° omnes qui, etsi catholice nati ac baptizati, ante matrimonium aut sectam haereticam professi sunt aut a religione catholica ita defecerunt, ut aliquo modo publice de desertione constet. Ita S. Off. d. 6 April. 1859, iunct. resp. ad Episc. Montereyensem, d. 21 Febr. 1865 (*Vlaming*, O. c., n. 495).

Fac per transennam advertas, sub novo iure plures quoad *impedimentum clandestinitatis* accenseri *catholicis*, qui, spectato impedimento *mixtae religionis*, annumerantur *haereticis*.

[7]) Bened. XIV declar. d. 4 Nov. 1741; Const. *Redditae*, d. 17 Sept. 1746; Const. *Singulari nobis* d. 9 Febr. 1749, § 17.

[8]) Declaratio Bened. XIV quae inscribitur «Declaratio cum Instructione super dubiis respicientibus matrimonia in Hollandia et Belgio contracta et contrahenda», quamque ipsemet Bened. XIV aliquatenus interpretatus est in Const. *Singulari nobis* (d. 9 Febr. 1749 §. 17), decla-

Praecipuae sunt: Dioecesis Wratislaviensis in territorio *Borrusiae* (a. 1765, 1877, 1882), dioecesis Culmensis (a. 1774), ducatus Cliviensis (a. 1793), Constantinopolis eiusque suburbia (a. 1769), Bosnia (a. 1771, 1828), Pondicherium (a. 1833), Ora Malabarica (a. 1765), Bombay (a. 1767), Canada (a. 1764), Insula SS. Trinitatis (a. 1825), Luisiania superior et inferior. denique plures partes olim dominio *Gallorum* et *Hispanorum* in Statibus foeder. Americae septent. subiectis (a. 1824) [1].

III. *Loca in quibus ex concessione S. Sedis, non servata forma Tridentina, saltem* [2]) *valida sunt matrimonia mixta.* Praecipua sunt: Hungaria et Transilvania (a. 1841), Hibernia (a. 1785), Russia et Polonia Russiaca (a. 1780, 1844), dioeceses Coloniensis, Trevirensis, Paderbornensis, Monasteriensis (a. 1830), dioec. Gnesn. et Posnan. (a. 1841), Limburgensis (a. 1853), Warmiensis (a. 1854), Georgia (a. 1845), dioeces. Basileens. in Helvetia (a. 1890) [3]).

IV. *Locus in quo sola matrimonia acatholicorum inter se, neglecta forma Tridentina, valida erant,* est insula Melitensis (1890 et 1892).

V. *Loca in quibus lex Tridentina, quod attinet ad validam celebrationem matrimonii, saepe neque haereticos neque catholicos astringebat, ita ut et matrimonia mere catholica, et matrimonia mere haeretica et matrimonia mixta valida essent,*

---

ratio ista, inquam, praesertim declarat, matrimonia clandestina tam *haereticorum inter se quam mixta* valere in locis Foederatorum Ordinum Hollandiae dominio subiectis.

Controvertitur, utrum praedicta *Declaratio* involvat *meram declarationem*, an *meram dispensationem*, an *principaliter declarationem* quae tamen vim *verae dispensationis* et statuti *novi* admixtam habuerit (Cfr. *Vlaming*, *O. c.*, n. 495; *Wernz*, *O. c.*[2], p. 239, nota 151). Praeterea qui declarationem Benedicti XIV *mere* vel saltem *principaliter declarationem* esse autumant, ii, si in rationem inquirant, ob quas declaratio data sit, alii aliam assignant (*Vlaming*, l. c.; *Wernz*, l. c.). Ceterum certum est, declarationem propria auctoritate extendi non posse; quod patet et ex iteratis decisionibus (v. g. *Pius VII* d. 23 April. 1817 ad Vicar. gener. Trevir.; *S. Off.* d. 19 Iul. 1819 ad Vicarios cap. Pictav.) et ex eo quod difficillimum est de *paritate* adiunctorum iudicare, et ex eo quod non *omnino* constat, constitutionem Bened. XIV non involvere *meram dispensationem*. Plura de declaratione Benedictina vide in appendice 2ª (p. 95).

[1]) *Wernz*, l. c.

[2]) Controvertitur, utrum necne etiam matrimonia *haereticorum inter se* in hisce locis valida essent, si forma Tridentina neglecta esset.

[3]) *Wernz*, l. c.

etiamsi forma Tridentina non esset servata: Anglia, Scotia, Suecia, Norvegia, Dania, plures pagi Helvetiae, v. g. Turigum, nonnullae provinciae Germaniae praesertim septentrionalis [1]), plures provinciae ecclesiasticae Statuum foederatorum Americae septentrionalis [2]), Australia et Oceania [3]), aliae regiones schismaticorum, haereticorum, infidelium *Europae*, v. g. Graecia, Russia, imperium Turcarum; item *Asiae* et *Africae*, v. g. Iaponia et Imperium Sinarum, Aegyptus [4]).

---

[1]) Quoad imperium Germaniae notandum: Pius X Constitutione *Provida*, die 18 Ian. 1906 edita, sancivit pro toto hodierno imperio Germaniae, ut a die Paschatis 15 April. 1906: *a*) invalida sint omnia matrimonia *catholicorum inter se* quae contrahantur, forma Tridentina non servata; *b*) valida — utut illicita — sint tam matrimonia *mixta* quam *haereticorum vel schismaticorum inter se*, etiamsi forma Tridentina neglecta fuerit; *c*) ut matrimonia mixta iam contracta sed invalida, in radice sanentur, modo nec obstaret aliud impedimentum canonicum, nec sententia nullitatis propter impedimentum clandestinitatis ante diem Paschatis 15 April. 1906 lata esset et mutuus coniugum consensus usque ad dictam diem perseveraret. Haec Constitutio d. 23 Febr. 1909 ad regnum Hungariae extensa est, simulque, positis ponendis, in radice sanata sunt «coniugia mixta post publicationem Decreti *Ne temere* in regno Hungariae hucusque (a die 19 April. 1908 usque ad diem 23 Febr. 1909) contracta, non servata eiusdem Decreti forma» (*S. C. de Sacram.* d. 23 Febr. 1909).

Porro Constitutio «Provida», *quatenus ante decretum* «Ne temere» *vigebat*, interpretanda est ad normam iuris ante praedictum decretum vigentis. Hinc v. g. nomen *haereticorum* et *catholicorum* sumendum sensu veteris legis qui quidem p. 92 expositus est. Qua autem ratione Constitutio «Provida» post decretum «Ne temere» perstiterit ac nunc persistat, diximus p. 80.

[2]) Cfr. *Conc. plen. Baltimor.* III (a. 1884), c. VIII; *S. C. de Prop. Fide*, d. 15 April. 1901.

[3]) Cfr. *Conc. prov. Australiense I* (a. 1844) in Collect. Lac., t. III, col. 1053.

[4]) *Wernz*, l. c.

APPENDIX II.

De ratione qua forma matrimonii, ante decretum « Ne temere » statuta, in Neerlandia eiusque Coloniis vigebat.

Quae respiciunt hanc materiam quam concivium gratia succincte perstringere lubet, ad haec capita reduci possunt.

I. Lex Tridentina saltem ratione diuturnae observantiae astringebat omnes *catholicos* quoad omnes Neerlandiae paroecias, ita ut omnia matrimonia *catholicorum inter se,* contracta sine parocho et testibus, invalida essent. Consentiunt quotquot theologi et canonistae Neerlandici hanc quaestionem pertractant.

II. Lex Tridentina multis in tractibus atque locis Neerlandiae non astringebat *haereticos*, ita ut in istis locis ac tractibus matrimonia *haereticorum inter se et mixta* valida essent, etiamsi forma Tridentina non fuisset servata. Porro documenta ecclesiastica ex quibus praedicta loca determinari debent, sunt :

1) Declaratio d. 4 Nov. 1741 a Benedicto XIV edita [1]); quae declaratio incipit « Matrimonio » atque declarat et statuit : *a*) valida esse matrimonia clandestina (contracta atque contrahenda) tam *haereticorum inter se* (§ 2) quam *mixta* (§ 3) in locis subiectis dominio Foederatorum Ordinum Hollandiae ; *b*) idem valere pro matrimoniis clandestinis *haereticorum inter se et mixtis* quae extra fines dominii Foederatorum Ordinum contrahuntur, modo utraque pars pertineat ad legiones seu militares copias quae a Foederatis Ordinibus transmitti solent ad custodiendas muniendasque arces conterminas, vulgo dictas « de barrière » ; hanc autem declarationem etiam complecti civitatem Mosae-Traiectensis, a Foederatis Ordinibus solum oppignorationis nomine, non iure dominii possessam (§ 4).

---

[1]) *Bullar. Bened. XIV*, t. I, p. 178.

2) Constitutio *Singulari Nobis* [1]) a Benedicto XIV d. 9 Febr. 1749 prolata; in qua Constitutione S. Pontifex declarationem suam aliquatenus est interpretatus.

3) Concessiones postea a diversis SS. Pontificibus factae; quae quidem concessiones per modum extensionis ipsius « Declarationis Benedictinae » emissae, respiciunt loca quae post declarationem editam Hollandiae regno accesserunt scil. *Ducatum Cliviensem* (Pius VI, d. 19 Iun. 1793), civitatem *Traiectum ad Mosam* [2]) (Leo XII, d. 20 April. 1826 et d. 12 Aug. 1826), et praedictae civitatis *suburbium S. Petri* [3]) (Greg. XVI, d. 28 Febr. 1844).

Iam vero, attentis citatis documentis, matrimonia clandestina tam *haereticorum inter se* quam *mixta* valida erant:

1. *in tota archidioecesi Ultraiectensi*, excepto fortassis *Wehl*, qui locus equidem *sub dominio* ducis Cliviensis, sed extra *ambitum* ducatus situs erat. Porro dubium est, num declaratio Pii VI (a. 1793) quae declarationem Benedictinam ad ducatum Cliviensem extendebat, respiceret solum loca *in eo* sita, an etiam *extra eum* sita, sed dominio ducis Cliviensis subiecta, ut de Hollandia dixerat Ben. XIV;

2. *in universa dioecesi Harlemensi;*

3. *in tota dioecesi Buscoducensi*, exceptis *Boekel*, *Deemen*, *Dennenburg*, *Deursen*, *Herpen*, *Huisseling*, *Overlangel*, *Ravensteyn*, *Reek*, *Schayk*, *Uden*, *Velp*, *Volkel*, *Zeeland* (quae ad Dominatum Ravensteniensem pertinebant), *Haren*, *Macharen*, *Megen*, *Teeffelen* (quae continebantur Comitatu Megensi), *Bokhoven*, *Gemert*, *Handel* (quae Dominis de Gemert subiecta erant), *Boxmeer* et pago *S. Antonii* (quae Comiti de 's Heerenberg suberant), *Luyksgestel* (quod continebatur Principatu Leodiensi), et fortasse *Oeffelt*, qui pagus, uti de *Wehl*

---

[1]) *Bullar. Bened. XIV*, t. VII, p. 28.

[2]) Attenta ipsa declaratione Benedictina, valida erant matrimonia *haereticorum inter se* et *mixta* quae contrahebantur *Mosae-Traiecti* inter partes *utramque* pertinentes ad copias militares; at Leo XII d. 20 April. 1826 per S. Officium declarationem Benedictinam *extendit* ad *omnes incolas* Mosae-Traiecti, atque d. 12 Aug. 1826 declaravit, id etiam pro *contractis* matrimoniis valere (Cfr. *Feye*, *O. c.*, n. 230; *Mél. Théol.*, sér. 3, p. 342).

[3]) Greg. XVI d. 28 Febr. 1844 ad cautelam declarationem tam Benedictinam quam Leoninam extendit ad *suburbium S. Petri* una cum sanatione quoad praeteritum (*Feye*, l. c.; *Mél. Théol.*, l. c.).

dictum est, subiectus quidem erat duci Cliviensi, sed probabiliter ipsius Ducatus *limitibus* non continebatur. Hinc dubitatur, num declaratio Pii VI de qua modo dixi, eum respexerit;

4. *in universa dioecesi Bredana;*

5. *in dioecesi Ruraemundensi* prout sequitur [1]): Matrimonia clandestina *haereticorum inter se* et *mixta* valida erant:

a) in civitate *Mosae Traiecti* (ex privilegio Leonis XII, d. 20 April. 1826);

b) in suburbio *S. Petri* prope Mosae-Traiectum (ex concessione Greg. XVI, d. 28 Febr. 1844);

c) in locis quae tempore declarationis Benedictinae (d. 4 Nov. 1741) dominio Foederatorum Ordinum subiecta erant. Porro: *α*) anno 1632 ad dominium Foederatorum Ordinum transiit comitatus *Vroenhof* ad quem pertinebant pars urbis Mosae-Traiecti et pagus *Wilre* in hodierna dioecesi Ruraemundensi, atque pagi *Montenaken* et *Heukelum* in dioecesi Leodiensi [2]). — *β*) Anno 1661, die 26 Dec. per pactum Hagae-Comitum initum (« partagetractaat ») dominio Foederatorum Ordinum subiecta sunt loca quae in ipso pacto ita referuntur atque enumerantur: « Dat ook meer hoogh-gemelte Heeren Staten Generaal in vollen vryen eygendom, superioriteyt, ende souverainiteyt zullen hebben, houden ende besitten, eeuwighlyck ende erffelyck voor haer ende hare Nakomelingen, uyt den voorschreven *Lande van Valckenburgh*, het *Casteel* ende de *Stadt van Valckenburgh*, ende voorts de Bancken, Heerlyckheden ende Dorpen van *Meerssen*, *Houthem* (excepto conventu *S. Gerlachi* intra suos muros), *Haren* (Borgharen), *Geul*, *Ulestraten*, *Bunde*, *Amby*, *Iteren*, *Climmen*, *Hulsbergh*, *Schimmert*, *Eysden*, *Harkenrade*, *Ekel-rade* (Ekelrade quoad partem in praesenti pertinentem ad municipium St. Geertruide), *Beeck*, *Neerbeek* (hollandum Neerbeek), *Berch* (Berg prope Valkenburg), *Bemelen*, *Blyt* ende *Heerle*, alsoock den ordinarisen wegh van Heerle, loopende midden door de Jurisdictie ende over het Territoir van de heerlyckheydt van Schaesbergh, ge-extendeert ter breete van een roede Lands

[1]) In componendo elencho qui hanc dioecesim respicit, magno mihi auxilio fuere scripta doctissimi viri Bauduin, in Seminario Maiori dioeceseos Ruraemundensis Professoris.

[2]) *Habets*, Geschiedenis van het Bisdom Roermond, t. I, p. 57 et t. II, p. 360.

van weder-zyde buyten den voorschreven wegh, (soo ende daer denselven geghenwoordigh loopt) sonder eenighe réserve ... uyt den *Lande van Daelhem* ... het *Casteel* ende de *Stadt* van *Daelhem* ende voorts de Bancken, Heerlyckheden ende (Dorpen) *Trembleur*, *Olne*, *Bombay*, *Fenneur*, *Cadier* (non *Keer*, quod pertinebat ad S. Antonii tribunal capituli S. Servatii) ende *Oest* met alle de Gehuchten, Ressorten, Jurisdictien ... uyt den *(Lande) 's Hartogenrade* ... de Bancken, Heerlyckheden ende Dorpen van *Gulpen*, *Marckgraten*, *Holset*, *Vylen*, ende *Vaels* met alle de Gehuchten, Ressorten, Jurisdictien [1])». — *γ*) Anno 1715, d. 5 Nov. per pactum dictum « de barrière » dominio Foederatorum Ordinum subiecta sunt loca quae iterum ipsum pactum ita enumerat: « Sa Majesté Impériale et Catholique cède à L. H. P. les Etats Généraux à perpétuité en pleine Souveraineté et propriété dans le Haut-Quartier de Geldres: la ville de *Venlo* avec sa banlieue et le Fort de *St. Michel;* de plus le Fort de Stevenswaart avec son Territoire ou Banlieu, comme aussi autant de terrain, qu'il faudra pour augmenter les Fortifications en deçà de la Meuse ... S. M. I. et C. cède de plus aux Etats Généraux l'Ammanie de *Montfort*, consistant (à l'exception des Villages *Swalmt* (Swalmen) et *Elmt* (Elmpt nunc pertinens ad Germaniam) qu'Elle se réserve) dans les petites Villes de *Nieuwstadt* et *d'Echt* avec les Villages suivants, savoir: *Ohe et Lack*, *Roosteren*, *Bracht* (Maasbracht), *Besel*, *Belfeld*, *Vlodrop*, *Postert* (Posterholt), *Berg* (Odiliënberg), *Lin* et *Montfort* [2])». — *δ*) Denique constat, etiam pagum *Elsloo* tempore declarationis Benedictinae a Foederatis Ordinibus occupatum fuisse [3]).

d) in locis quae anno 1793. d. 9 Iunii (quo quidem anno Pius VI declarationem Benedictinam ad *ducatum Cliviensem*

---

[1]) Cfr. *Lieuwe van Aitzema*, Saken van Staet en Oorlogh, t. IV, p. 794 sqq. Quae praeter relata in pacto enumerantur loca, ea Foederatorum Ordinum *dominio* non fuerunt subiecta, sed tantum iura *fiduciaria* in ea obtinuerunt. Adhuc observes, plura e locis relatis non pertinere ad dioecesim Ruraemundensem hodiernam.

[2]) Cfr. *Electa iuris publici oder die vornehmsten Staatsaffaires von Europa*, a. 1716, t. 8, p. 806, sqq.; *Nieuwe tegenwoordige staat en hedendaagsche historie der Nederlanden* door *W. A. Bachiene*, te Amsterdam, a. 1791, p. 1114, sqq.; *Habets*, Geschiedenis van het Bisdom Roermond, t. II, p. 360.

[3]) *Habets*, O. c. t. I, p. 58; *Ernst*, Histoire du Limbourg, t. I, p. 54.

extendit), ad praedictum ducatum pertinebant, quaeque, quatenus de locis in hodierna dioecesi Ruraemundensi sitis agitur, sunt: *Gennep*, *Ottersum* et *Heyen* [1]). Locus *Mook* equidem ad ducatum Cliviensem pertinebat, verum quum extra ducatus *ambitum* situs esset, de eo dubitatur, num extensio declarationis Benedictinae a Pio facta eum comprehendat.

c) in tota dioecesi, casu quo uterque contrahens copiis militaribus ibidem in praesidiis exsistentibus erat addictus [2]). Id saltem valde probabile videtur [3]).

Denique — id quod integritatis causa notandum est — S. C. de Prop. Fide, d. 1 Iun. 1809 ad quaestionem « num valida sint matrimonia quae Iansenistae in Hollandia coram Pseudo-pastoribus suis contrahunt inter se vel cum persona catholica », respondit, praedicta matrimonia esse dissimulanda seu pro validis habenda, atque Iansenistas conversos non esse inquietandos causa matrimonii bona fide contracti; tunc tantum ad S. Sedem esse recurrendum, quando in casu particulari specialia dubia occurrant.

Qua ratione lex Tridentina in nostris Indiis vigebat?

1. In *India Orientali* non vigebat lex, sive quia non publicata, sive quia abrogata fuit [4]).

---

[1]) *Habets*, O. c. t. II, p. 360.

[2]) « Addicti copiis cogitantur milites, calones, lixae, uxores, liberi, servi, tabernarii militum, qui copias sequuntur, et qui Ducis imperio subsunt » (*Van de Burgt*, Tractatus de Matrimonio[2], n. 278).

[3]) Iam supra dictum est, a declaratione Benedictina valida declarata esse matrimonia clandestina *haereticorum inter se* et *mixta* quae extra fines dominii Foederatorum Ordinum contrahebantur, modo utraque pertineret ad militares copias quae a Foederatis Ordinibus transmitti solebant ad custodiendas muniendasque arces conterminas, vulgo dictas « de barrière ». Iamvero « quum, inquit Van de Burgt, post annum 1815 dubitaretur de valore matrimoniorum mixtorum clandestine contractorum in Belgio inter personas pertinentes *utramque* ad copias quas in ea regione Rex habebat, an nempe haec praesidia aequiparanda essent civitatibus *de barrière*, per S. Off. d. 12 Aug. 1824 et d. 21 April. 1825 responsum fuit pro *validis* esse habenda, quousque aliter a S. Sede non fuerit dispositum. Extra usum tamen hodie haec omnia sunt, quum neque civitates dictae *de barrière* quae erant sitae in Belgio hodierno, neque alia in eo loca a milite Hollandico occupentur. Attamen responsa modo citata S. Off. videntur applicanda *copiis militaribus* quae sunt in praesidiis in *Limburgo Hollandico* » (l. c.).

[4]) *Oietti* (O. c., p. 48) post Zitelli ex quodam rescripto S. C. de Prop. Fide a. 1823, tradit, decretum « Tametsi » publicatum fuisse *Bataviae*; verum *Feye* (De Impedimentis et Dispensationibus matrimonialibus[4], n. 333), re investigata, scribit, nullum in ipso Vicariatu de eiusmodi rescripto vestigium reperiri (*Vlaming*, O. c. n. 481).

2. Quod spectat ad *Indiam Occidentalem (Curaçao, Surinname* et reliquas nostras *Antillas*), ad eam declaratio Benedictina a S. Off. d. 3 Mart. 1825 fuit extensa. Porro etiamsi, spectata illa extensione, admittatur, decretum « Tametsi » in istis regionibus tunc temporis quoad *catholicos* viguisse, nihilo minus dubium est, num praedictum decretum etiam postea in vigore perstiterit. Etenim in Concilio coloniarum Angliae, Hollandiae et Daniae, anno 1854 habito, Ordinarii et Vicarii Apostolici censuerunt, matrimonia clandestina *haereticorum inter se* et *mixta* in praedictis regionibus valida esse, de valore vero matrimoniorum *catholicorum inter se* dubitarunt. Iam vero ad istas regiones pertinet colonia de Suriname [1]). Quod spectat ad Curaçao auctores passim referunt, S. Off. a. 1851 declarasse, idque cum ibidem obliterata esset memoria et praxis formae Tridentinae, « matrimonia clandestina hactenus contracta pro validis habenda, . . . in posterum vero contrahenda pariter pro validis esse habenda, donec ab Apostolica Sede aliter fuerit statutum ». Attamen observandum, nullum in Vicariatu de ista declaratione vestigium exstare.

---

[1]) *Collect. Lac.*, t. VI, col. 1091. Patres Concilii statuerunt dubium S. Sedi subicere; verum id videtur factum non esse.

APPENDIX III.

De Domicilio.

Quum tam in commentario nostro quam in aliis Iuris canonici et Theologiae moralis tractatibus toties de domicilio et quasi-domicilio sermo recurrat, lubet notiones huc spectantes breviter perstringere.

Porro domicilium distinguitur duplex, *reale* seu *habitationis* dico et *legale*. De singulis seorsum agemus.

A. — **Domicilium reale** duplex est, nimirum domicilium reale *plenum* et *quasi-domicilium* reale.

Domicilium reale plenum est habitatio actualis in aliqua paroecia seu quasi-paroecia cum animo ibidem perpetuo habitandi, nisi causa quaedam inopinata avocet.

Quasi-domicilium reale est habitatio actualis in aliqua paroecia vel quasi-paroecia [1]) cum animo ibidem habitandi per maiorem anni partem. Ita Instructio a S. Off. d. 7 Iun. 1867 ad Episcopos Angliae et Statuum foederat. Americae Septentr. data; eadem autem Instructio circa finem supponit, maiorem anni partem *sex saltem mensibus* compleri, ita ut sufficiat animus protrahendi habitationem *per sex saltem menses*. *Habitatio* autem habetur, si quis more *incolae*, non more *vagi ac itinerantis*, alicubi commoratur (*Instr. cit.*).

Itaque, uti ex dictis consequitur, duo requiruntur tam ad domicilium reale plenum quam ad quasi-domicilium reale constituendum, nimirum ad *domicilium reale plenum* et habitatio actualis et animus ibidem perpetuo habitandi, nisi causa inopinata avocet; ad *quasi-domicilium reale* et habitatio actualis et animus ibidem habitandi per sex saltem menses. Verum sicuti praedicta requiruntur, ita etiam sufficiunt, ita ut a primo momento quo praedicta concurrunt,

---

[1]) Dixi « in aliqua paroecia seu quasi-paroecia », non « in aliqua dioecesi », quia domicilium et quasi domicilium in *dioecesi* acquiruntur, mediante domicilio vel quasi-domicilio in paroecia dioeceseos. Attamen quod spectat ad assistentiam matrimonio praestandam domicilium in dioecesi obtinetur independenter a domicilio in paroecia obtento (p. 43).

domicilium reale plenum aut quasi-domicilium constituta sint.

Iam age, de *habitatione* generatim satis facile constabit ex adiunctis; *animus* autem *requisitus* probabitur aut expressa declaratione habitantis, aut factis hunc animum aperientibus.

Praeterea *commoratio decennalis* praestat *praesumptionem iuris*, adesse vel saltem adfuisse intentionem alicubi *perpetuo* habitandi (l. 2, C. *de incolis*); *commoratio unius mensis* autem *iuris praesumptionem* praebet, animum per *sex saltem menses* alicubi habitandi exsistere vel exstitisse; quae tamen praesumptio contrariis ac certis probationibus eliditur (Bened. XIV, Const. *Paucis abhinc*). [1])

COROLLARIA: *a*) Potest aliquis habere duo immo plura domicilia realia plena, scl. aequaliter in diversis locis habitando cum intentione ita perpetuo agendi. Utrum vero necne aliquis aequaliter in pluribus locis habitet, id magis aestimandum ex ratione qua sese hic illicve instruxit, quam ex aequalitate temporis quo in diversis paroeciis versatur (l. 6, § 2 D *ad municip.* 50, 2). Certum est, commorationem mathematice aequalem non requiri (Cfr. *Vlaming*, O. c., n. 490).

b) Potest haberi domicilium cum quasi-domicilio; puta si quis ob causam saltem sex menses expostulantem alio proficiscitur cum animo, negotio finito, in locum perpetuae habitationis revertendi.

c) Utrum possit aliquis duo quasi-domicilia habere necne, controvertitur. Alii, uti Gasparri (*Tract. de Matrim.* n. 916) negant; alii uti Deshayes (*Quest. prat. sur le mariage, domicile* etc., 1898, qu. 26) illud in dubium vocant. Verum affirmandum videtur cum Boudinhon, Vlaming, (*O. c.*, n. 490), Schaepman (*N. K. Stemmen*, 1904, p. 302) et aliis. Boudinhon rem ita illustrat et comprobat: « Il est difficile d'admettre un quasi-domicile coexistant avec un autre quasi-domicile; le plus souvent le motif de la résidence temporaire cessera

[1]) Quod attinet ad Status foederatos Americae Septentr. Leo XIII die 12 Maii 1886 concessit, ut pro iis qui e loco, ubi viget lex Tridentina, in alium locum se conferant, *commoratio unius mensis*, etiam deficiente animo per se requisito, sufficiat ad constituendum quasi-domicilium in ordine ad matrimonium ineundum. Pro civitate autem Pariensi S. Off. d. 9 Nov. 1898 sanciverat, ut ad eumdem finem sufficeret *commoratio per sex menses*, etiamsi animus per se requisitus abesset atque abfuisset.

avec le départ et l'on n'aura pas à supposer le retour, après une nouvelle période de six mois, au lieu du quasi-domicile antérieur. Cependant la chose n'est pas absolument impossible. Supposons, par exemple, un étudiant qui, gardant son domicile chez ses parents, se fixe à Paris pour la durée de ses études de médecine, soit pour une durée de quatre ans; pendant cette période il s'en va passer sept mois dans une université d'Allemagne; je ne saurais comment révoquer en doute la persistance et du domicile paternel et du quasi-domicile parisien, tandis que le second quasi-domicile est également certain. Mais, encore une fois, ce cas est exceptionnel. On quitte généralement un quasi-domicile pour n'y plus revenir » (*Le Canoniste contemporain*, 1899. p. 273).

d) Qui habitat in confinio duarum paroeciarum pertinet « ad paroeciam in qua domus quam inhabitat, habet portam principalem, salva dispositione Episcopi in contrarium. Quodsi porta principalis transponatur ita, ut iam sit in altera paroecia, manet domicilium in priori paroecia, nisi reconstruatur ipsa domus eiusve mutetur ordinatio integra » (*De Smet*, O. c., p. 95).

Postremo notandum, duo requiri, ut domicilium reale plenum vel quasi-domicilium reale *amittantur*, scil. et discessum actualem et animum non redeundi in locum relictum ad ibi habitandum.

B. — **Domicilium legale** constituitur *ipso iure* quod scil. certis personis domicilium assignat, etiamsi aut actualis habitatio aut animus alicubi perpetuo vel per sex saltem menses manendi aut utrumque desit.

Porro domicilium legale aeque ac domicilium reale dupliciter distingui potest, domicilium legale *plenum* dico et *quasi-domicilium* legale. Iam age :

I. *Filii* gaudent *domicilio legali pleno* in paroecia, ubi parentes (vel tutor) domicilium reale plenum habent. Disputatur, utrum filii etiam *quasi-domicilium legale* obtineant ibi, ubi parentes quasi-domicilio reali polleant. Filii domicilium legale retinent, donec domicilio parentum (vel tutoris) renunciaverint, id est, ab eo discesserint cum animo non revertendi. Quocirca notandum: *a*) Certum est, filios *maiorennes* domicilio paterno posse renunciare; dubium vero, num idipsum

sua vel parentum voluntate possint *minorennes* [1]).

b) De facta renunciatione *constare* potest aut ex filii declaratione, aut ex domicilio reali pleno alibi constituto, aut ex consuetudine penitus amissa ad domum paternam revertendi.

c) Tandem, nihil impedit, quominus filii *domicilium legale* retinentes alibi *quasi-domicilium reale* acquirant, puta in paroecia domini cui famulantur.

II. *Uxores* domicilium et forum mariti sortiuntur ex l. ult. C. de incolis et ult. ff. ad municip. Excipe tamen:

1. si mulier separata est a viro quoad thorum et cohabitationem;

2. si maritus uxorem malitiose deseruit;

3. si mulier catholica iuncta est matrimonio cum coniuge acatholico, attenditur in causis matrimonialibus domicilium uxoris catholicae [2]).

III. *Milites* obtinent *quasi-domicilium legale* in praesidiis stabilibus, si ibidem *per sex saltem menses* commorari *debeant* (Bened. XIV, Inst. eccl. 88, n. 9). Id tamen non prohibet, quominus insimul *domicilium legale plenum* in domo paterna retineant.

IV. *Orphani* et *expositi* videntur habere *domicilium legale plenum* in hospitio, si huius administratio eos ex integro curat; secus saltem *quasi-domicilium* ibidem acquirunt.

V. *Incarcerati perpetuo* obtinent *domicilium legale plenum* in carcere; qui non perpetuo sed ad sex saltem menses in carcerem detrusi sunt, *quasi-domicilium legale* in loco carceris habent.

VI. *Religiosi* in loco monasterii cui adscripti sunt, *domicilium* habent *legale plenum.*

VII. *Beneficiati* ad residentiam constricti *domicilium legale plenum* obtinent in loco beneficii quoad omnes causas, si vero beneficium non-residentiale habent, tantum quoad causas beneficium respicientes [3]).

VIII. *Litigantes*, citatione legitime peracta, post mutationem domicilii realem retinent pro illa causa *domicilium legale* in territorio iudicis citantis [4]).

---

[1]) *Vlaming*, O. c., n. 492; *Wernz*, O. c.[2], p. 260, nota 190, *De Smet*, O. c. p. 94; *Dirckx*, Ned. Kath. Stemmen, 1900, n. 12 et 13.

[2]) *Wernz*, O. c.[2], n. 736.

[3]) *Lega*, De iudic. eccl.[2], I. p. 313.

[4]) Cap. 19 De foro comp. X II. 2.

ADDENDA.

Formulae sponsalium pag. 13 a nobis indicatae quamvis rectae sint, praestat tamen ampliores pro istis substituere. Exemplo sit haec:

Iacobus N., filius NN. et NN., natus die ... mensis ... anni ... et habitans in ..., et Anna N., filia NN. et NN., nata die ... mensis ... anni ... et habitans in ... hisce litteris coram parocho paroeciae S^{i} N. in ... sponsalia contrahunt.

Romae, die 1^{a} Iunii 1912.

Nominis subscriptio sponsi.
Nominis subscriptio sponsae.
Nominis subscriptio parochi.

INDEX SYNOPTICUS.

PAG.

Praefatio 3
Decretum *Ne temere* 5
Bibliographia 10

COMMENTARIUS.

ART. I. — **De solemnitate ad sponsalia requisita** 11

Forma sponsalium 11 — Notanda quoad parochum et Ordinarium loci, testes, actum scribendi et sponsalia in genere 14 — Sponsalia inter absentes 16 — Sponsalia per procuratorem 16 — Sponsalia impuberum 16 — Sponsalium dissolutio 17 — Vis sponsalium informium 18 — Liceitas sponsalium informium 20 — Promissio unilateralis ineundi matrimonii 20 — Promissio unilateralis et bilateralis ineundi sponsalia 20 — Iuramentum sponsalibus privatis additum 21 — Casus practicus 23.

ART. II. — **De eis qui in decreto Ne temere veniunt nomine parochi et Ordinarii** 24

Parochi locales 24 — Parochi personales 26 — Parochus putativus 27 — Parochus schismaticus 27 — Parochus qui non est sacerdos 28 — Ordinarius 28 — Casus practicus 28.

ART. III. — **De eis quae summatim ad valorem matrimonii requiruntur** 29

Parochus assistens 30 — Testes assistentes 30 — Modus assistendi 30.

ART. IV. — **De assistentia valide praestita** . . . 32

Parochus et Ordinarius beneficium suum adepti sint vel officium inierint 33 — Non sint publico decreto nominatim excommunicati 33 — vel ab officio suspensi 34 — Assistant intra limites sui territorii 34

PAG.

— Sint invitati ac rogati 35 — Neque vi neque metu gravi constricti sint 35 — Requirant excipiantque contrahentium consensum 37 — Licetne requirere consensum, si matrimonium illicitum est 37 — Matrimonium inter absentes 38 — Casus practicus 41.

ART. V. — **De assistentia licite praestita** . . . 41

Constet de statu libero nupturientium 42 — Constet, nupturientes habere in loco matrimonii 43 domicilium 44 vel saltem menstruam commorationem 44 — Quasi-domicilium 44 — Quando requiritur licentia parochi proprii 45 — Causa a praedicta licentia excusans 46 — Matrimonium regulariter coram parocho sponsae celebretur 48 — Causa excusans 48 — Casus practicus 48.

ART. VI. — **De facultate delegata assistendi** . . 50

Natura delegationis 50 — Personae quae possunt delegare 50 — Parochus publico decreto excommunicatus vel ab officio suspensus 50 — Potestne delegatus subdelegare 51 — Personae quae possunt delegari 52 — Actus delegandi 54 — Causa delegandi 56 — Servanda a delegato, ut valide et licite assistat 56 — Cessatio delegationis 57 — Casus practicus 58.

ART. VII. — **De casu quo licet coram quolibet sacerdote contrahere.** 59

Periculum mortis 59 — Impossibilitas habendi parochum aut Ordinarium aut delegatum ab alterutro 59 — Ratio consulendi conscientiae saltem alterutrius nupturientium 60 — Ratio consulendi legitimationi prolis 61 — Servanda, ut assistentia in adiunctis expositis valida sit 62 — Potestas dispensandi in impedimentis dirimentibus 63 — In impedimentis prohibentibus 66 — Praedicta potestas etiam parocho competit 66 — Casus practicus 67.

PAG.

ART. VIII. — **De casu quo licet sine ministro sacro contrahere matrimonium** 68

Impossibilitas contrahendi coram ministro competenti 68 — Impossibilitas per mensem duraverit 68 — Utrum requiritur impossibilitas communis an requiritur et sufficit personalis 69 — Modus contrahendi matrimonium, quum minister competens deest 70 — Quando ex epikeia contrahi potest sine forma ordinaria 70 — Casus practicus 71.

ART. IX. — **De matrimoniis contractis annotandis** 71

Annotanda in libro matrimoniorum 72 — Quando annotanda sunt 72 — Quis annotare debet 72 — Quanta est obligatio annotandi 73 — Annotanda in libro baptizatorum 73 — Quis debet annotare matrimonia in casibus extraordinariis contracta 74.

ART. X. — **De poenis ferendis et latis contra parochos, legis transgressores** 74

Poenae statutae 75 — Contra quos poenae statutae sunt 75 — Cui cedenda iura stolae, si plures parochi proprii habentur 75 — Ad quid tenetur parochus qui sine causa iura stolae remiserit 76 — Poena suspensionis, a Trid. statuta, sublata est 76 — Casus practicus 76.

ART. XI. — **De iis qui decreto Ne temere astringuntur** 77

Catholici ritus Latini lege tenentur 77 — Quinam veniunt nomine catholicorum 77 — Infantes ab acatholicis nati, in Ecclesia catholica baptizati et in haeresi vel sine religione educati 78 — Infantes nondum septennes, in haeresi baptizati sed a parentibus conversis in fide catholica educati 78 — Exceptio vigens in Germania et Hungaria 79 — Catholici ritus Orientalis non astringuntur lege 82 — Neque acatholici lege tenentur 82 — Servanda, ut matrimonium mixtum, ob impedimentum clandestinitatis invalidum, convalidetur 83 — Casus practicus 84.

PAG.

ART. XII. — **De legis promulgatione, initio obligationis eius, divulgatione et vi derogatoria** 85

Promulgatio legis 85 — Initium obligationis legis 85 — Divulgatio legis 85 — Vis derogatoria legis 85 — Casus practicus 85.

APP. I. — **De forma publica matrimonii ante decretum Ne temere** 87

APP. II. — **De ratione qua forma matrimonii, ante decretum Ne temere statuta, in Neerlandia eiusque Coloniis vigebat** 95

APP. III. — **De Domicilio et Quasi-domicilio** . . 101

Addenda 105

Index synopticus 106

IMPRIMATUR.

AMSTELODAMI, 1 Iunii 1912.

J. Lohmeijer, C. SS. R.

Sup. Prov.

EVULGETUR.

AMSTELODAMI, Prid. Kal. Iul. 1912.

D^r^ H. van Aarsen,

Censor deput^s^.

264.592 Wouters, Ludovicus
AUTHOR
W 938 Commentarius in decretum
TITLE "ne temere"

264.592
W938